













AVRORA THESAVRVSQVE PHILOSOPHORVM,

Theophrasti Paracelsi, Germani Philosophi, & Medici præ cunctis omnibus accuratissimi.

Accessit

Monarchia Physica per GERARDVM DORNEVM, in defensionem Paracelsicorum Principiorum, à suo Præceptore positorum.

Præterea

Anatomia uiua Paracelsi, qua docet autor præter sectionem corporum, & ante mortem, patientibus esse succurrendum.

15  77.

BASILEAE.



ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINcipi, Francisco Valesio, Henrici II. Piæ Memoriæ Regis Galliarum Filio, Fratrique Regio Vnico, Duci Andegauorũ, Biturigum Alenconio, Turonensi, &c.

Salus.



On sine Fato factũ, Illustrissime Princeps existimandũ, vt Serenissimi Regis Francisci Magni Valesij, eius nominis I. Piæ Fœlicisque Memoriæ, Tuæ Celsitatis Aui, nomen geras, Cum re ipsa Magni eius Animi dotes atquæ virtutes omnes facilè referas: accitis vndiquæ pollentibus ingenio viris, qui suscitandis, prouehendis, ab iniurijs vindicandis, et ad Veritatis normã adducendis, in omni scientiarum genere bonis artibus, nauent operam. Non immeritò igitur, si quid isti viri suis

lucubratiunculis (Deo dante tamen) asse-
cuti sint, Benefactori suo Deo primùm, de-
nique Principibus eiusmodi Mœcenati-
bus, dicatum volunt. Idipsum et Henricus
Ille II. Rex Potentissimus, Piæ Memoriæ
Pater, ac modo Henricus III. etiam Rex
Inuictissimus Frater, Fœlicis Galliæ Reges
omnes, semper in delicijs habuerunt. Quid
enim Regibus ac Principibus dignius esse
potest, quàm ardua regiminũ Consilia, lite-
ris interdum vt salibus condere? Hoc ipsum
attestatur, ea in re, Animi tui splendorem
eximium, dum etiam Translationẽ Phy-
sicam librorũ Germanicorum Theophra-
sti Paracelsi, Germani Philosophi præ cæ-
teris acutissimi, doctissimi que viri, maxi-
mopere fieri cupiat, vt & Gallia per te, Li-
teraria hac fœlicitate fœcundior euadat.
Cui muneri quidem & officio, quòd me (li-
cet indignum) Celsitas Tua præficere di-
gnata sit: Tuo sub tuto Patrocinio, non nisi
fœli-

fœliciter auſpicari poſſum: idque maximè, quia labor hic, eò neruos totos intendit, vt ars medica potiſsimùm & phyſica, falſis innixa fundamentis Aethnicorum, ad ſua nempe veritatis primordia redeant. Non parum ſanè referre videtur, quibus medicamentis, quibuſuè medicis, homines, præſertim Reges atq; Principes, vitam ſuã committant, proſpicere. Sunt enim ipſamet quæ hactenus vſu veniunt, male ſana, & corruptioni obnoxia pharmaca, vt etiam per ſe aliquantiſper aſeruata, & nõ aſſũpta, morbeſcant, morboſque quos propulſare deberent, potius introducant. Quando quidem ex quouis generari, ſibi ſimile neceſſũ eſt, vt ex morbo morbum: non aliter, vt ex ſano ſanum, ex corrupto corruptum. Docet itaque Præteptor noſter Paracelſus, longè præſtantiori Methodo, corruptione laxa diſſonaque vitæ membra, medicamentis ab omni corruptibili remotis, arte ſpagirica,

multifariam ad Unitatis & ſanitatis proportionem, ſimpathia quadam adducere: non ex infideliū Aethnicorum ſcholis, verum ex vero ſcientiarum omnium vnico fonte, centroq; Veritatis, cuius ignari fuerunt AEthnici prorſum, & eorum diſcipuli. Ut in Monarchia mea patebit latiùs: quaquidem artis medicæ vera fundamenta ſolidiſsimis argumentis, innoteſcent, & quæ Paracelſus prodit in lucem principia medica, in concuſſo fundamento ſtabilientur. Breuibus vt rem expediam. Ars & omnis ſapientia nulla, quæ non ex Unitatis Veritatisque centro fluxerit, vt ex puncto linea. Suſcipe igitur Princeps Illuſtriſsime quæſo, de manibus humilimi ſerui tui, quæ hactenus ita luculentè, fuerunt inaudita, Patrocinioque tuere contra giganteos homines inimicos veri, vt potes, etiam ab injuriys et inuidia defende. Interea valere Tuā Celſitatem in Ieſu Chriſto, & in æuum

viuere

viuere fœliciter opto. Datum Basileæ pridie Idus Augusti 1577.

Illustrissimæ Tuæ Celsitatis

Humilimus Interpres. Germanicus.

Gerardus Dorn.

Aurora Philoſophorum Doctoris THEOPHRASTI PARACELSI.

Capitulum Primum.

De Origine Lapidis Philoſophici.



Rtium inuentor primus Adam, quòd rerum omnium cognitionẽ haberet, poſt lapſum æquè atque ante lapſum, inde præſagiuit mundũ per aquã tranſiturũ. Hoc ipſo factũ etiam, vt eius ſucceſſores duas lapideas tabulas erigerent, quibus omnes artes naturales inſculpſerunt, idq; Hierogliphicis caracteribus, vt præſagium hoc poſteris etiam innoteſceret, ac obſeruaretur periculorum tempore prouidendum eſſe. Noach poſtmodum in Armenia tabularũ vnam inuenit ſub monte Araroth, tranſacto Diluuio. Qua quidem ſuperioris firmamenti, & inferioris globi nec non planetarum curſus deſignabantur. Tandem vniuerſalis hæc notio, particulatim in diuerſa diſtracta, viribus ſuis imminuta eſt, vt iſtiuſmodi ſeparatio, hunc aſtronomum, illum porro magum, alium cabaliſtam, quartum verò alchimiſtam effecerit. Vulcanicus ille Abrahã Tubalchain aſtrologus & arithmeticus maximus, ex Ægipto in regionem Chanaan traduxit,

duxit, vnde tantum in fastigium Ægiptij surrexerunt, vt ab istis etiam ad alias nationes eiusdem rei sapientia transierit. Quandoquidem Patriarcham Iacob oues picturasse varijs coloribus, magiæ membro factũ fuit. Semper enim Chaldei, Hebrei, Persæ, & Ægyptij, penes Theologiam has artes liberales, suis Proceribus, atque Sacerdotibus, vti summam philosophiam proposuerunt addiscendam. Non secus euenit Moysis temporibus, quibus cùm Sacerdotes, tum ipsi medici, magos inter electi sunt: isti quidem in illorum iudicium, quod sanitatem concernebat, presertim in lepra cognoscenda. Moyses etiã cura et impensis filiæ Pharaonis scholis Ægyptiorum instructus est, vt in eorũ sapientia præcelleret. Nõ aliter Daniel ab ineunte ætate Chaldeorum doctrinã suxit, vt in cabalistam euaderet. Testantur eius diuina præsagia, & expositiones istorum verborum. *Mene Mene Tecelphares.* Per propheticam & cabalisticam artem verba hæc intelligenda sunt. Artis huius cabalisticæ traditio, apud Mosen & prophetas familiaris admodum fuit, atque plurimùm vsitata. Elias propheta suis cabalisticis numeris, multa prædixit. Itidem & antiqui sapientes hac arte naturali, & mystica, Deum ex æquo nosce didicerunt, ac in eius mandatis huiusmodi legibus firmiùs perstiterunt & ambu-

larunt. Pariformiter & libro Samuelis habetur, Berelisticos Diaboli sortem nō fuisse secutos, verùm diuina permissione visionum apparitionumque verarum fuisse participes, quod quidem lib. de supercœlestibus latiùs vrgebimus. Donum eiusmodi sacerdotibus in diuinis pręceptis ambulantibus à Domino Deo cōcessum est. Mos Persis fuit, neminem in regem præter sophum re ac nomine sublimatum admittere: quod vtique patet hoc ipso regum suorum nomine Sophi. Tales etiam extiterunt illi sophi ac magi Persæ, qui Christū Iesum ab oriente quæsiuerunt, et sacerdotes naturales appellati sunt. Ægyptij quoque à Chaldeis & Persis hanc magiam & philosophiam assecuti, suos sacerdotes eandē sapientiā addiscere voluerunt: in qua etiam tantum fructum fecerunt, vt circumuicinis omnibus regionibus venirent in admirationē. Hac de causa Hermes verè Trismegistus nominatus est, quia Rex tum Sacerdos atque Propheta, Magus, & Sophos rerum naturalium fuit. Talis etiā et Zoroastes extitit.

Capitulum secundum.

Quo declaratur, bonam partem huius sapientiæ, Græcos ab Aegyptijs hausisse, & ab istis ad nos deriuasse.

Post-

POstmodum vbi filius Noach, tertiam mundi partē occupauit à Diluuio, hæc ars in Chaldeam & Persiam vi quadam irrupit, & inde in Ægyptū. Idipsum superstitiosi & idololatræ Grȩci cùm subodorassēt, eorum aliqui qui sagaciores erant, ad Chaldeos se contulerunt, & ad Ægyptios, vt ex eorum scholis eandem haurirent sapientiam. Verumenimuero, cū non arrideret eis theologicū byblicumúe legis Mosayicæ studiū, proprio suo genio confisi, à recto fundamēto naturalium eiusmodi secretorum & artiū exciderūt. Exemplo patet, cùm tam fabulosè de Moysis doctrina senserint ac titubarūt. Ægyptijs mos fuit, eiusmodi traditiones excellentis sapientiȩ, non nisi figuris ænigmatibus, & abstrusis historijs atque vocabulis proponere. Quȩ postmodum Homerus artificio mirando pœmatum adumbrauit. Accessit & Pythagoras, qui plurima ex lege Moysis & veteris testamenti permiscuit. Pariter & Hippocrates, Thales Milesius, Anaxagoras, Democritus & alij, sua non desierunt ingenia his applicare. Quamuis eorum nullus Astrologiæ, Geometriæ, Arithmeticȩ vel Medicinæ verarum peritus esset. Impediuit eos nimirum sua superbia, quæ discipulos aliarum nationum admittere noluit. Cùmque non nihil à Chaldeïs, & Ægyptijs percepissent, longè superbiores accidente

quàm

quàm antea natura facti, subtilioribus figmẽtis rẽ ipsam acuere nõ verentes, philosophiam quandam describere conati sunt, quę postmodũ à Grecis ad latinos deriuauit. Qui tandem hac imbuti & instructi, suis quoquę dicterijs adornarunt. Ab his omnibus, per totam Europam dißeminata philosophia hæc, multas Academias construxit, in eius dogmatum propagationem, qua iuuentus instrueretur, et in hunc vsque diẽ penes Germanos et alias nationes viget.

Capitulum tertium.

Quidnam docebatur in Aegyptiorum scholis.

CHaldei, Persæ, & Ægyptij habuerunt eandem arcanorum naturæ cognitionem, & eandem religionem, mutatis dumtaxat nominibus. Chaldei, & Persæ suam doctrinam vocant Sophiam atque Magiam. Ægyptij verò, ob sacrificium, suam sapientiam appellant sacerdotium. Persarum Magia, & Ægyptiorũ Theologia docebãtur olim in scholis simul ambæ. Quamuis in Arabia, Africa, & Grecia scholæ multæ, doctiq; viri fuerint, vt Albumazar, Abenzagel, Geber, Rasis, & Auiceña: apud Arabes, Machaõ, Podalirius, Pythagoras, Anaxagoras, Democritus, Plato, Aristoteles, & Rodianus penes Grecos, nihilominus varij sensus inter se fuerunt, & quod ad sapientiam Ægyptiorũ attinet

attinet diſcordes extiterunt. Pythagoras ea de cauſa Sophus appellari noluit, quia Sacerdotium Ægyptiorũ & ſapientia perfectè, vt par erat, minimè docebatur, & ſi multa nihilominus inde reportaſſet myſteria & arcana, Anaxagoras quoque plurima. Patet ex diſputationibus, quas de ſole, & eius lapide facit, & quas à morte ſua reliquit. Ægyptijs tamen contrarius in multis fuit. Quapropter & ipſi, noluerunt appellari Sophi, nec Magi, ſed Pythagoram ea in re imitantes, philoſophiæ nomen aſſumpſerũt: ipſi tamẽ non niſi ſcintillas quaſdã vt vmbras ex Magia Perſarum & Ægyptiorum reportarunt. Verùm Moyſes, Abraham, Salomon, Adam, Elias, & Magi ab oriente ad Chriſtum venientes, veri Magi fuerũt & Sophi diuini, necnon Cabaliſtæ. Cuius artis & ſapientię Greci, parum aut prorſus nihil experti fuerunt. Quapropter iſtorum ſcilicet Grecorum philoſophicam ſapientiam, vt ſpeculationẽ ab alijs veris artibus & ſcientijs, longè latèq; diſtantem ac ſeparatam relinquimus.

Capitulum quartum.

Quales Magi fuerunt Chaldei, Perſæ & Aegyptij.

MVlti tentarunt ſecretiſſimam iſtorum ſapientum Magiam cùm ſcrutari, tũ in vſum reducere. Idipſum tamen hactenus

factum

factum non extitit. Plærique hac nostra tempestate exaltant Trithemium, alij Baconē, & Agrippam, ob Magiam & Cabalam quæ minimè concordare videntur, ignorantes cur faciant. Magia quidem est ars & facultas, per quam ad elementorum, corporum, & fructuum eorum, proprietatum, virium, operationùmque abstrusarum peruenitur. At ipsa Cabala, ex anagogia, viam ad Deum hominibus struere videtur: quinam cum ipso agendum, & ex ipso prophetandū. Nam plena est diuinis mysterijs Cabala, vti Magia naturalibus arcanis: præsagia siquidem illa ex natura futurorum & presentium effari docet. Eius enim operatio cōsistit in creaturis omnibus tam cœlestibus, quàm terrenis corporibus cognoscendis intrinsecus, quid in ipsis occultetur, quæ vires lateant, cui destinata sunt ab initio, tum quibus proprietatibus dotata. Hæc et similia vinculum sunt, quo cœlestia terrenis coniunguntur, vt localiter etiam aliquando percipi potest ac sensualiter, ab operationibus suis. Talis influentiarum cœlestium coniunctio, vel impressio, qua operantur in inferiora corpora cœlestes vires, Gamahea Magis, vel matrimonium, virium & proprietatum cœlestiū cum elementaribus corporibus dicta fuit ōlim. Inde fluxerunt excellentissimę comixtiones corporum omnium cœlestium, atq;

terre-

terrenorum, Solis videlicet, ac planetarum, item vegetabilium, mineralium, & animalium. Diabolus tentauit conatibus totisque viribus, eiusmodi lucem obfuscare. Nec in totum sua spe frustratus, cùm totam Gręciã ea priuarit, & eius loco speculationes humanas, & meras blasphemias in Deũ, & filiũ eius, eò gentium introduxit. Magia vtique suam originẽ ex diuino Ternario, & ex Trinitate Dei duxit originem. Etenim creaturas omnes hoc Ternario Deus insigniuit, ac digito suo Hieroglyphicum hunc Ternariũ ipsis insculpsit, vt nihil etiam in rerum natura valeat assignari, vel adduci, quod hoc magisterio diuini Ternarij careat, quodùe hunc oculariter non demonstret. Creatura quidem, nobis Creatorem ipsum intelligere ac videre docet: vt etiam diuinus Paulus ad Rom. testatur. Fœdus hoc diuini Ternarij per totam substantiam rerũ diffusi, est indisolubile: per quod etiã habemus arcana totius naturæ ex elemẽtis quatuor. Ternarius enim cum magico quaternario, perfectum septenarium producit, multis arcanis dotatum, notisque demonstratũ. Et quum quaternarius in Ternario quiescit, oritur lux mũdi in Orizonte æternitatis, totùmque vinculum cum Deo nobis exhibet. Ad hæc etiã accedunt vires & operationes creaturarum omnium, & vsus earum suis arcanis, signis,

caracteribus, & figuris insignitarum, vt in eis vix minimum punctum occultum relinquatur, quod non examinatione pateat. Quandoquidem vbi quaternarius & ternarius ad denarium ascendunt, eorum fit ad vnitatem regressus. In eo concluditur omnis occulta rerum sapientia, quam Deus cùm verbo suo, tum creaturis manuum suarũ, palam fecit hominibus, vt veram noticiam haberent earum: quod alio loco latiùs declaratur.

Capitulum quintum.

De potißima summaq; rerum essentia.

MAgi per suam sapientiam affirmarũt, omnes creaturas ad Vnitam substantiam adducendas, quã suis mundationibus & purgationibus asserunt in tantam subtilitatem ascendere, diuinanique naturam, & occultam proprietatẽ, vt operetur admiranda. Considerarunt enim in terram redituram, & per supremam separationem magicam, perfectam quandam substantiã emersuram, quæ tandem plurimis industriosis & valde prolixis præparationibus, ex vegetabilibus substantijs in mineralia, ex mineralibus in metallica, & ex perfectis metallicis substantijs attollitur, in perpetuam ac diuinam essentiam quintam, omnium cœlestiũ ac terrestrium creaturarum essentiam in se conclu-

concludentem. Arabes & Græci, per caracteres occultos, & Hieroglyphicas descriptiones Persarum & Ægyptiorum, ad secreta & abstrusa mysteria peruenerũt, quibus adeptis, & partim intellectis, partim verò non, ad miranda quædam experiundo viderũt ocu-lariter. Sed quia supercœlestes operationes profundiús laterent, quàm captus eorum posset assequi, arcanum hoc non iuxta Magorum sententiam vocarunt supercœleste, sed philosophorum arcanum, & ex sententia Pythagoræ lapidem eorum. Hunc quicumque assecuti sunt, varijs adumbrarunt figuris ænigmaticis, deceptorijsque similitudinibus, comparationibus & vocabulorũ fictionibus: vt posteris eius materia saltem occulta foret, cuius nulla vel minima haberi posset noticia.

Capitulum sextum.

De varijs erroribus quoad materiam, inuentionem eius & notitiam.

PHilosophi varia huic materiæ lapidis nomina præfixerũt occultissima, à similitudinibus allata. Hoc Arnaldus obseruans in Rosario, summam inquit in materiæ lapidis huius inuentione difficultatem existere. Vegetabilem enim appellarunt, mineralem, & animalem, non iuxta literalem sensum, vti norunt sapientes diuinorum arcanorum

& miraculorum eiusmodi lapidis experti. Huius exemplum pręsefert Raymundi Lullij lunaria, quæ flores mirandarum virtutum edit, familiares ipsis philosophis. Hæc non fuit eorum opinio tamen, vt per eam intelligeretur aliqua super metalla proiectio, vel præparatio talis inde fieret: verùm abstrusa mens philosophorum alio spectat. Non aliter materiam suam appellarunt nomine Martagon, cui operationẽ occultam alchimisticam applicuerunt, cùm tamen id prorsus nihil denotet præter occultissimam quãdam similitudinem. Error etiam non minimus in vegetabilium liquoribus ortus est, quibus mercurium coagulare plurimi conati sunt, & postmodum fixatorijs aquis in lunam conuertere, existimantes eum qui hac via citra metallorum auxilium coagulare posset, maximum assecutum esse magisterũ. Et quamuis nonnullorum vegetabilium liquores id efficiant, non aliunde fieri, quàm ob resinam, pinguedinem aut sulphur terrenum quo abundant, iudicabitur: Hoc mercurij humiditatem, & vitam ad se trahit, quo sese permiscet illius substantiæ, coagulando præter omnem vtilitatem. Nam crassum & externum sulphur nullum, in vegetabilibus, ad perfectam proiectionem in alchimia aptum esse, compertum est mihi: quod etiam nó sine maximo dispendio experti sunt plurimi.

rimi. Etsi nonnulli succo Titimalli albo la-cteoq; propter calorem intensum & acutum in eo existentesi, coagularunt mercurium, & eiusmodi liquorem lac virginis appellarunt, falsum tamen fundamentum hoc fuit. Non secus de succo Chelidoniæ existimandum, licet colore suo imponat oculis, ac si dotatum esset auro. Colligẽtes inde vanum quid, certo ac determinato tempore, vegetabile hoc eradicarunt, ex quo animã vel quintum esse venati sunt, vnde coagulantem ac permutantẽ tincturam efficerent, verùm & hinc nihil præter fatuum errorem ortum.

Capitulum septimum.

De erroribus eorum qui lapidem quærunt à vegetabilibus, vt supra.

ALchimistarũ aliquot, expressum è chelidonia succum ad spissitudinem vel cõsistentiam excoxerunt, exposueruntque soli, vt in massam duram per se coagularetur, quæ postmodum in puluerem minutissimũ contusa nigri spadiceiuè coloris, mercurium proiectione verteret in solem, quod vanum esse compererunt. Alij admiscuerunt huic pulueri sal armoniacum: alij colchotar vitrioli, opinantes ea via se ad optatum peruenire finem potuisse. Solutionibus in flauam aquam adduxerunt, vt sal armoniacum, tincturæ præberet ingressum in mercurij sub-

ſtantiam, nihil tamen inde factum eſt. Nonnulli prædictorum loco, ſuccos Perſicariæ, Bufonariæ, Dracunculi, foliorum ſalicum, Titimall, Cataputiæ, Flammulæ, ac ſimiliũ ſimul vnà cũ ipſo mercurio, per dies aliquot, vitreo vaſe concluſos, in cineribus tenuerũt, accidit vt inde mercurius in cinerem verteretur, ſed perperam & nullo fructu. Decipiebãtur enim iſti, vanis vulgi rumoribus, quibus iactatum fuit, eum qui mercurium, abſq; metallis coagulare poſſet, habere magiſteriũ integrum, vt ſuprà memenimus. Eorum plurimi ex vegetabilibus ſalia, olea, & ſulphura traxerunt arte, ſed fruſtra. Nam ex ſalibus, oleis, aut ſulphuribus eiuſmodi, nulla coagulatio mercurij, vel perfecta proiectio, neque tinctura fieri poteſt. Quòd verò philoſophi, materiam ſuam arbori cuipiam aureæ ramorum ſeptem comparent, intelligũt eam in ſuo ſpermate, metalla ſeptẽ concludere, & in eo latêre. Quapropter materiam ſuam vegetabilem eſſe dixerunt: tum etiam quia non aliter quàm naturales arbores, ſuo tempore varios flores proferunt, materia lapidis colores pulcherrimos patefacit, in florum ſuorum productione. Item ea de cauſa, quia ex terra philoſophica, materia quędam exurgit, vt virgultum ſpongiæ terræ ſimile, dicunt arboris ſuæ fructum ad cœlum tendere. Ideo protulerunt in vegetabilibus naturæ,

furæ, totius rei cardinem verti, ſed nõ in vegetabilibus materiæ: tum etiam quia ſuus lapis animam, corpus, & ſpiritũ in ſe continet, vt vegetabilia.

Capitulum octauum.

De his qui Philoſophorum lapidem in animalibus quæſiuerunt,

SImilitudinaria quadã appellatione materiam ſuam, lac virginis eſſe dixerũt, & roſei coloris benedictum ſanguinem, qui tamen ſolis prophetis & filijs Dei conuenit. Inde Sophiſtæ collegerunt materiam philoſophicam hanc, in animalium ſanguine, vel hominis exiſtere, occaſione ſumpta, quòd ex vegetabilibus nutriantur. Alij in capillis, in ſale vrinæ, in Rebis. Alij in ouis gallinarum, in lacte, in ouorum corticum calce: quibus omnibus mercurium figere poſſe putarunt. Extraxerunt aliqui ex fœtido lotio ſal, credentes lapidis eſſe materiam. Non deſierunt qui lapillos in Rebis repertos materiam eſſe iudicarent. Alij membranas ouorum aſperrimo lixiuio macerarunt, quibus etiam ouorũ calcinatos cortices albiſſimos niuis in modũ admiſcuerunt, his attribuentes arcanũ fixationis ad mercurium inuertendum. Alij ouorum albumen argento comparantes, & auro vitellum, in ſuam elegerunt materiam, admiſtis ſale comuni, armoniaco, tartaroq;

vsto, simul ea vitro concluserunt, balneòque maris putrefecerunt, idque trantisper dum albus color in rubicundissimum, sanguinis instar abiret, Hocipsum in fœtidissimum destillarunt liquorem, prorsum inutilem, ad opus quod quærebant. Alij putrefecerunt albumen & vitellum ouorum, & inde Basiliscus generatus est, quem in rubicũdissimum puluerem exusserunt, eoque tingere putabãt, cuius autor fuit Gilbertus Cardinalis in suo tractatu. Plerique fella boum, & aliorum animalium, sale permisto cómuni macerata, destillarunt in liquorem, quo cementationũ pulueres imbutos, existimarunt metalla sua tingere posse magisterio quodam, quod partem cum parte nuncuparunt, & inde nihil actum est. Aliqui tutiá, suis cum additionibus, vti sanguine draconis, et alijs, cuprum aut electrum in aurũ permutare conati sunt. Alij iuxta venetorum artem (vt aiebant) viginti stelliones, plus minusuè concludebant olla, fameque redigebant ad insaniam, vt vnam alia deuoraret, vnica superstite, quam limaturis cupri vel electri pascebant, existimantes genus hoc animalum in ventriculo suo digestione sola permutationem optatã efficere: postremò exurebant animal hoc in rubicundum puluerem, quem putabant aurum esse, verùm & eò decepti fuerunt, Alij tandem in piscibus quos Trutas vulgò solẽt appel-

appellare, crematis per liquationem, aurum aliquoties inuenerunt, non alia de causa, nisi quia genus hoc piscium, in fluminibus atque torrentibus, sqamas, aureasque scintillas colligere manderéque solitum sit, rarò tamen id contigit. Tales impostores potissimum inueniuntur in Aulis Principũ. Non est materia philosophorum in animalibus quærẽda: hoc omnes admonitos velim. Attamen est quòd sciatur, philosophos lapidem suum animalem appellasse, quòd postremis suis operarionibus, virtute nobilissimi huius ignei mysterij, liquor obscurus ex ea materia in suo vase guttatim exudet. Inde protulerunt præsagium hoc, scilicet postremis temporibus, purissimum hominẽ in terras vẽturum, per quem liberatio mundi futura esset, guttas hunc ipsum hominem, rosei rubeíue coloris & sanguineas emissurum, quo medio mundum à labe redimeret. Pariformiter & sanguis sui lapidis (in suo genere tamen) leprosa liberabat metalla, suis ab infirmitatibus, & contagie. Quare non immeritò dixisse putarunt, suum lapidem animalem esse. Hoc de mysterio Mercurius, ad Regem Calid ita loquitur, Mysteriũ hoc, solis Dei Prophetis permissum est cognoscere, quo fit, vt lapis hic animalis vocetur. Nam in sanguine lapidis huius, latet anima sua; componitur etiam ex corpore, spiritu

& anima. Simili ratione vocarunt ſuum Microcoſmum, quod rerum omnium totius mundi ſimilitudinem habeat, & inde rurſus animalem eſse dicunt, vti Plato magnum mundum animal vocat.

Capitulum nonum.

De his qui lapidem quæſiuerunt in animalibus,

ACceſſerunt ignari, credentes lapidem eſſe triplicem, atque triplici genere ſecretum, vtputa vegetabili, animali, & minerali. Quo factum, vt in mineralibus quæſierint. Hæc ſententia, longè diſtat à philoſophorum opinione. Aſſerunt enim, ſuũ lapidẽ vniformiter vegetabilẽ, animalẽ & mineralẽ. Notandũ ad hæc, naturam ſperma ſuum minerale, in varia genera diſtribuiſſe, videlicet in ſulphura, ſalia, boracia, nitra, armoniaca, alumina, arſenica, atramenta, vitriola, tutias, hœmatites, auripigmenta, realgara, magneſias, cinnabarim, antimonium, talcum, cachymiã, marcaſitas, &c. In iſtis omnibus, natura nondum aſſecuta eſt materiam noſtram. Quamquam in aliquibus dictarũ ſpecierum, miro ſe patefacit aſpectu, in tranſmutationem inperfectorum metallorum, ad perfectionem adducendorum. Longa ſiquidem experientia, & igneum exercitiũ, multifariam oſtendunt permutationem, in materia mineralium : nedum ex coloribus in colores,

colores, verumetiã ex vna essentia in aliam, & ex imperfectione sui, in perfectionẽ. Quãuis etiam natura, medijs mineralibus, aliquam perfectionẽ, præparationibus sit prosecuta, non ideo volunt philosophi, suam lapidis philosophorum materiam, ex vllo mineralium progredi, licet lapidem suum esse mineralem dicant. Vnde Sophistæ, sumentes occasionem, ipsum mercurium, varijs torturis persecuti sunt: aliqui sublimationibus, coagulationibus, præcipitationibus, mercurialibus aquis, fortibus, &c. Quæ omnes erroneæ viæ vitandæ sunt, cũ cæteris Sophistarum præparationibus mineralium, purgationibus, & fixationibus spirituum, atque metallorum. Quapropter lapidis præparationes omnes, vti Geberi, Alberti Magni, & similium sunt sophisticæ, purgationes eorũ, cemẽtationes, sublimationes, destillationes, rectificationes, circulationes, putrefactiones cõiũctiones, solutiones, ascẽsiones, coagulationes, calcinationes, & incerationes, prorsum inutiles: cùm in tripode athanore, furno reuerberatorio, liquefactorio, accidioneo, fimo, cinere, arena, similibusque: tum in curcurbita, pellicano, retorta, phyala, fixatorio, &c. Idipsum de sublimatione mercurij, per minerales spiritus ad album & rubeũ, vti per vitriolum, salpetræ, alumen, crocum Martis, existimandum. De quibus omnibus,

falsò fabulatur ille Sophista, Ioannes de Rupecissa, tractatu suo de lapide philosophorũ, albo & rubeo. Quæ simul, ementita somnia sunt omnia. Fugienda sunt etiã, particularia sophistica Geberi, prout sunt septenę sublimationes, aut mortificationes itẽ reuificationes Mercurij, cũ suis præparationibus, p sal vrinę, vel per sepulchrũ factis quę singula falsa sunt. Quidã alij, mineraliũ & metallorum sulphuribus, mercurium fixare conati, summè decepti fuerunt. Vidi siquidem, hac arte mercurium in corpus metallicum, per eiusmodi fixationes adductum, similitudine quidem, in omnibus, & per omnia, bonum argentum fingentem ac repræsentantem, verùm in testa, falsum vt extitit, etiã apparuit.

Capitulum decimum,

De his qui lapidem & particularia quæsiuerunt in mineralibus.

SOphistarum noñulli, tentarunt ex mercurio septies sublimato, ac toties dissoluto, fixum oleum emungere, medio quidẽ aquarum fortium, quo metalla imperfecta, in perfectionẽ adducerentur: at frustraneum opus hoc, relinquere coacti sunt. Aliqui vitriolum septies purgarunt, calcinatione, solutione, & coagulatione, & cũ duarum partium armoniaci salis additione, sublimationéque, vt in aquam albam resoluere-

tur, cui tertiam partem addidere mercurij viui, vt ea coagularetur aqua: mercurium toties postmodum, à dicto vitriolo, & armoniaco sale sublimarunt vt in lapidem abierit. Hunc affirmarunt, ex vitriolo conceptũ, rubeum sulphur esse philosophorum, quo cum solutionibus, & coagulationibus progressi sunt ad lapidem, sed in proiectione, fecerunt nihil. Alij mercurium coagularunt, per aquam aluminis, in massam duram alumini similem, quam fixatorijs aquis fixarunt inutiliter. Sophistę, plurimas rationes fixandi mercurium, sibi frustra præfigunt, quòd in mercurio, nihil perfecti cõstantisùe habeatur. Hoc fit, vt in vanum addantur ei mineralia, per sophisticos processus, quibus omnibus, ad maiorem sui malitiam excitatur, viuusque magis efficitur, & potius ad maiorẽ impuritatem adducitur, quàm ad aliquam perfectionem. Non est igitur, ab eo materia philosophorum petenda: cũ sit imperfectum quid, quod si ad perfectionem adduci queat, sophistarũ progressibus valde difficile fuerit, imò impossibile, cùm in eo nihil sit, quod in perfectionem excitari cogiùe queat. Aliqui, sumserunt arsenicum aliquoties sublimatũ, ac multoties oleo tartari dissolutum, & coagulatũ, idq; fixare prætenderunt, quo cuprũ in argentum verterẽt, id ipsum & nihil, præter sophisticam de albationem quandã præ-
sestulit.

ſe tulit.Etenim, arſenicum ſanè minimè figi poteſt,niſi operator artiſta, ſpiritũ eius tingentem ex æquo cognitum habeat, in quoquidem omnes dormitarunt philoſophi, fruſtra conantes ex eo quid efficere. Quicũque igitur ſpiritum hunc ignorauerit, ſpem ipſum figendi nullam habeat, nec virtutem illi tribuẽdi, qua tranſmutationis perfectionem acquirat. Quamobrem notum facio cunctis, dealbationem de qua mentio facta eſt,ex falſo fundamento depromptam, eaq; falſo cuprũ dealbari, non immutari. Sophiſtæ,venerem ad hunc modum laruatam, atque fucatam,ſui duplo admiſcuerunt lunæ, aurifabris vendiderũt,& monetarijs:poſtremò verò,in falſos monetarios ſeſe tranſmutarunt,nedum qui vendiderũt, verumetiam illi,qui emerunt.Aliqui ex ſophiſtis, albi loco,rubeum arſenicum ſumſerunt, & hoc ipſum in falſam artem abijt.Quoniam quocũque modo præparetur, nihil præter albedinem exhibet. Nonnulli,progreſsi ſunt vlteriùs,ad ſulphur cōmune,quod ita flauũ coxerunt aceto, lixiuio, vel vrinis arcerrimis, per diem & noctem, vſque dũ album emerſit. Poſtmodũ, eleuarunt ipſum à ſale communi,& calce ouorum, per ſublimationem coxerunt,& ſublimarunt, idque multoties, combuſtibile ſemper nihilominus extitit,licet album; eo tamen,crudum fixare mercurium,

tium, in aurum conati ſunt, at fruſtra tentatũ eſt, optima tamẽ inde ciñabaris, & pulcherrima, omnium, quam viderim vnquã, reſultauit. Hanc fixare putantes, oleo ſulphuris per cementationem, & fixationem, apparentiæ nonnihil habuit, verùm, ſecus atque res ipſa deſiderabatur, euenit. Alij ſulphur commune redegerunt in formam hæpatis, olei lini, laterini, vel oliuarũ admiſtione, coquẽtes in aceto. Poſtmodum in lapidẽ marmoreum effundentes formã hæpatis effecerunt. Hoc deſtillarunt in oleum citrinum, igne lento primùm, ſed ſuo damno ſunt experti, ſe nihil egiſſe, ad lunæ tincturam in aurum, vti putarunt. Vt mineralium infinitus eſt numerus, non aliter & præparationum eorum multa varietas: quarum, hoc loco latiorem facere mentionem diſtuli, quòd peculiarem tractatum requirant. Cauendum etiam à ſophiſticis oleis vitrioli, & antimonij. Itidem ab oleis metallorum imperfectorum, & perfectorum, auri, ſiue argenti. Quoniam, etſi horum operatio potentiſsima ſit in rerum natura, tamen verus proceſsus, in hunc vſque diem, paucisſimis cognitus eſt. Abſtinendum etiam, à ſophiſticis præparationibus mercurij vulgi, arſenici, ſulphuris, & aliorum ſimilium, per ſublimationem videlicet, per deſcenſum, & fixationem cum aceto, ſale petræ, tartaro, vitriolo, ſale armoniaco,

niaco, ea tamen via & ratione, quam libri sophistarum docent. Item fugite sophisticas tincturas à marcasitis, & croco Martis desumtas, & ab ea sophisticatione, quæ partis cum parte nomen habet: lunæ fixæ, similiũque nugarum. Nam, etsi aliquam superficialem veritatis apparentiam exhibeant (quæ quidem lunæ fixatio, parui laboris ac industriæ) tamen eiusmodi progressus præparationis, est nullus, & inualidus. Compassione motus igitur, erga beniuolos operarios artis huius, volui, verum philosophiæ fundamentum patefacere, tribus particularibus arcanis, videlicet: vno per arsenicum: alio per vitriolum: tertio verò, per antimonium explicatis. Ex quibus docebo veram proiectionẽ, super mercurium & imperfecta metalla.

Capitulum undecimum.

De vero & perfecto arcano particulari ex arsenico ad albam tincturam.

Scripserunt aliqui, compositum arsenicum ex mercurio, & sulphure: alij ex terra & aqua, plærique ex natura sulphuris. Quocumq; modo id sit, eius natura talis est, vt rubeum cuprum, in album transmutet. Ad eam etiam præparationis perfectionem adduci potest, vt verè perfectèq; tingat. Non ea via, quam docent prauj sophistæ, vt sunt Geber in summa perfectionis, Albertus Magnus,

gnus, Aristoteles Chimista in libro perfecti magisterij, Rasis, & Polydorus: nam scriptores isti quotquot sunt, errant, vel ex inuidia, falsa quæq; scribunt, proponuntq; recepta, quia veritatem etiam ignorarunt. Arsenicū, in se tres continet spiritus naturales: primum volatilem, adustibilem, corrosiuum, & omnia metalla penetrantem. Hic spiritus dealbat venerem, & post aliquot dies reddit spongiosam. Quod artificium ad eos pertinet dumtaxat, qui causticam artem exercēt. Secundus spiritus, christallinus est, ac dulcis. Tertius, est spiritus tingens, segregatus ab alijs prædictis. Has tres in arsenico proprietates naturales, inquirunt veri philosophi, ad perfectam sapientum proiectionem. Barbitosores verò chirurgiam exercētes, dulcem, & christallinam expetunt naturam, à tingente spiritu separatam in vsum curationis vulnerum, & ad bubone , carbunculos, antraces & cætera similium vlcerum vitia, non nisi miti quodam artificio curanda. Cæterùm spiritus ille tingens, nisi purum eius, ab impuro seiunctum sit, à volatili fixum, & à combustibili, tinctura secreta, proiectionem super mercurium, venerem, aut aliud quodcumq; metallum imperfectum, haudquaquam expediet ex voto. Philosophi omnes, arcanum hoc, vt mysterium excellentissimum occultarunt. Spiritum eiusmodi tin-

gentem, ab alijs duobus ſecretum, vt ſuprà. coniunges ſpirituj lunæ, ſimulq; digeri permittes, ſpatio triginta duorumque dierum, ac vſq; dum corpus nouum induerint. Poſtquam ad quadrageſimum diem naturalem, calore ſolis, in inflammationem accenſus fuerit, apparet ſpiritus candore nitido, perfectoq; tingendi præditus arcano. Tandem, ad proiectionem aptus eſt, videlicet, eius pars vna, ſuper ſedecim partes imperfecti corporis, iuxta præparationis acuitatem. Apparet inde luna lucens, & excellentiſsima tamquam è terræ viſceribus eruta.

Capitulum duodecimum.

De arcano vitrioli, rubeaq; tinctura ex eo prolicienda.

VItriolum, nobile admodum inter cætera minerale, plurimæ ſemper exiſtimationis, penes philoſophos exiſtit, quòd præ cunctis, Altiſsimus Deus hoc dotibus miris adornarit. Eius arcanum, figuris ænigmatibuſq; velarunt, vti hoc eſt. *Viſitabis interiora terræ, rectificando inuenies occultum lapidem veram medicinam.* Per terram intellexerunt, vitriolum ipſum, & per interiora terræ, dulcedinem eius, ac rubedinem. Quoniam in occulto vitrioli ſubtilis, nobilis, & fragrantiſsimus ſuccus, ac purum oleum

latet. Cuius prolectionis modus, calcinatione, vel destillatione haudquaquam aggrediendus. Etenim viriditate sua priuari minimè debet: qua quidem, statim atq; spoliatum erit, arcano pariter, & viribus carere necessum est. Notandum vtique hoc loco, mineralia nedum, verum etiam ipsa vegetabilia, similiaq; virorem extrinsecus demonstrantia, rubeum sanguinis instar oleũ in se continere, quod arcanum eorum est. Inde patet, pharmacopeorum destillationes irritas, vanas, atq; stultas, nulliusq; momenti esse, quòd sanguineum ruborem vegetabilium, prolicere minimè norint. Ipsa natura sagax, vegetabilium aquas omnium, in citrinum colorem vertit, & inde post, in rubicundisimum vt sanguis oleum. Tardiùs id ipsum fieri, causa potisima est, destillãtium operariorum ignorantium nimia præcipitatio, quà viriditas absumitur. Naturam suis viribus corroborare non didicerunt, quo nobilis ille viror, per seipsum in ruborem debet rectificari. Exemplo vinum album est, seipsum in citrinum colorem digerens, & succesiuo tempore, botri sui virens color, in rubeum sub coeruleo latentem per se vertitur. Deperdita igitur vegetabilium, & mineralium viriditate, per ignauiam operantiũ, essentia pariter & spiritus olei, balsamique arcanorum nobilisimi, perierit.

Capitulum decimumtertium.

De processu vitrioli ad rubeam tincturam.

VItriolũ in se multas lutosas & viscosas imperfectiones cõtinet: quapropter aqua viriditas eius elicienda sæpius, & rectificãda, vsq; dũ terrę omnes impuritates exuat. Quibus transactis rectificationibus omnibus, apprimè cauendum, ne materia soli sit exposita, quòd hic, virorem illius in pallorẽ vertat, absorpto simul arcano. Calido seruetur hypocausto cõtecta, ne puluere sordeat. Digeratur postmodũ vitro clauso, mensium aliquot spatio, ac tantisper, dum varij colores appareant, supremaq; rubedo. Nec dum isto processu, rubedo satis fixa fuerit existimanda, quin ab interioribus, accidẽtalibusque terræ sit inquinamentis, repurganda latius, ad hunc modum. Rectificãda venit aceto, donec terreum inquinamentum prorsus ablatum sit, fecesq; semotæ. Hęc est eius tincturæ vera, & optima rectificatio, de qua, benedictum oleum est eliciendum. Ab ea vitro conclusa diligentiùs, alembico superposito mox, et bituminatis commissuris, ne spiritus exhalet, eius olei destillatione, spiritus, igne suaui lentoque proliciendus est. Oleum hoc, pharmacopolico balsamo quouis, & aromatico delectabilius atq; dulcius, acredine carens omni. Residebit in fundo cucurbitæ, terra quædam albissima, nitens candensque

que niuis instar, hanc serua tuereque ab omni puluere. Ea ipsa terra, prorsum à sua rubedine separata est. Inde subsequitur maximũ arcanum, vtputa super cœleste matrimoniũ animæ summè purificatę, & ablutæ per agni sanguinem, cum splendente nitido, purificatoque suo corpore. Hoc est verum matrimonium supercœleste, quò vita prolongatur in diem postremum, destinatumq;. Ad hunc igitur modum, anima spiritusque vitrioli (qui sanguis eius existunt) cum suo corpore copulantur purificato, vt in æternum sint inseparabilia. Quapropter, excipe terrã hanc nostram foliatam, phyala vitrea, cui sensim oleum suum affundatur. Animam suam corpus, mométo recipiet amplectaturq;. Quandoquidem corpus, animę desiderio plurimũ afficitur, & anima corporis amplexu perfectissimè delectatur. Coniunctioné eiusmodi, positam in arcanorũ furnum, quadraginta diebus ibidem contineto. Quibus transactis, oleum habebis absolutissimũ mirandæ perfectionis, quo mercurius, & reliqua metalla quæuis imperfecta, vertũtur in aurum. Iam, ad multiplicationem, animum applicemus. Recipe mercurium corporalé, portione duarũ partium, qué tribus eiusmodi pỗderis partib. olei dicti perfundas, ac maneát simul diebus quadraginta. Hac proportione pỗderis, & ordine, multiplicatio fit in infinitum.

Capitulum decimumquartum,

De secretis, & arcanis antimonij, ad rubeam tincturam, in transmutationem.

ANtimonium, est verum auri balneum. Philosophi autem, vocarunt illud examinatorem, & Stilangem. Poetæ verò, dicunt in eo lauacro, Vulcanum lauisse Phœbum, & ab omnibus sordibus, imperfectionibusque repurgasse. Natum est ex purissimo nobilissimóque mercurio, & sulphure, sub vitrioli genere, in metallica forma splédoréque. Nonnulli philosophi, vocarunt album plumbum sapientum, vel simpliciter plumbum. Sumito igitur antimonij, eiusq; perquam optimi, quantùm voles, hoc ipsum in aqua forti sua dissolutũ, in aquam frigidã eijciatur, addito tantillo croco Martio, vt in sedimentum ad fundum vasis decidat: aliter enim feces non exuit. Postquã ad hunc modum solutum erit, summam acquisierit pulchritudinem: ponatur in vitrum, luto compactissimo circumquaque munitum, vel in bociam lapideam, & admisceatur tutiæ calcinatæ, sublimatę, ad perfectum gradũ ignis: cauendum accuratiùs à liquefactione, quoniam disrumpit vitra nimio calore. Ab vna libra huius antimonij, habetur sublimatio, dierum spatio duorum perfecta. Sublimatũ hoc, in phyala positum, vt tertia parte aquã attin-

attingat, lutato vaſe, ne ſpiritus euolet, ſuſpendatur ſupra tripodem arcanorum, & vrgeatur opus igne lento primùm, ſolis caloris inſtar ęſtate media. Tum demum, decimo quoque die, ſenſim augeatur. Etenim calore nimio rumpũtur vitra, nonnunquam & furnus in fruſta diſsilit. Dum vapor aſcendit, varij colores apparent: moderetur ignis tantiſper dum rubea materia cõſpiciatur. Poſtmodũ aceto ſoluatur acerrimo, fecibus abiectis: abſtrahatur acetum, iterumque ſoluatur in aqua communi deſtillata, quæ rurſum abſtrahatur, & ſedimentũ igne vehementiſsimo deſtilletur, vitro clauſo accurratiſsimè: aſcendet corpus totum antimonij, in oleum rubicundiſsimum, rubini colorem referens, in vaſq; receptorium guttatim defluet, odoris fragrantiſsimi, dulciſsimiq; ſaporis. Hoc eſt ſummum arcanum philoſophorum, in antimonio, quod inter oleorum arcana, plurimi faciunt. Poſtremò tandem, oleum ſolis fiat, ad hunc modum. Sumito puriſsimi ſolis, quantùm voles, hoc ſolui curabis in ſpiritu vini rectificato. Spiritus abſtrahatur aliquoties, totieſque ſoluatur iterum: poſtrema ſolutio ſeruetur cum ſpiritu vini, & circuletur per menſem. Poſtmodum, deſtilletur aurum volatile, & vini ſpiritus per alembicum ter quaterúe, vt in recipiens vas defluat. ac in ſummam ſuam eſſentiam adducatur. Ad me-

diam vnciam iſtius auri ſoluti, addatur vncia vna olei antimonij. Hoc oleum, illud amplectitur, in calore balnei, vt à ſe non facilè dimittat, etiamſi ſpiritus vini abſtrahatur. Hac via, habebis ſummũ naturę myſterium, & arcanum, cui par, in rerum natura haudquaquam aſsignari poteſt. Bina hæc olea modo qui dictus eſt, vnita, concludantur in phyala, & ſuſpendantur in tripode per menſem philoſophicum, ignèq; lentiſsimo foueantur. Quamquam, ſi temperetur ignis debita proportione, triginta & vno diebus, negotium hoc abſoluitur, & in perfectionem adducitur, qua mercurius & imperfecta metalla quæuis, auri perfectionem acquirunt.

Capitulum decimumquintum.

De proiectione per myſterium, & arcanum antimonij facienda.

NVllum poteſt aſsignari iuſtum pondus, in hoc opere proiectionis, licet ipſa tinctura, trahatur ab aliquo ſubiecto, proportione certa, ac debitis inſtrumentis. Etenim, iſta medicina, tingit aliquãdo triginta, quadraginta, nõnunquã ſexaginta, octuaginta, centum, imperfecti metalli partes, vt eius negotij cardo, potiſsimùm circa medicinæ mundationem, & operantis induſtriam vertatur, item iuxta maiorem vnius, quam alterius

rius

rius imperfecti corporis prę manibus assumti munditiam & puritatem. Quãdoquidem vna venus, purior altera, quo fit vt determinatum pondus, haberi nequeat, in proiectione. Hoc solum notatu dignum, vt si contingat operatorem, tincturę nimium assumsisse, additione poterit imperfecti metalli, hunc errorem corrigere: si verò subiecti nimium, quò tincturæ vires debiliores effectæ sint, vitium hoc, cineritio facilè, vel cementationibus, aut per crudũ antimonium ablutionibus tollitur. Nihil in hac parte, quod operãtem remoretur, vel impediat: solùm id sibi proponat, quod à philosophis omissum est, & ab aliquibus studiosè velatum, scilicet in proiectionibus, reuiuificationẽ imperfectorum corporũ esse necessariam, id est animationem, vel vt ita loquar, spirituationem, de qua nonnulli dixerunt, metalla sua non esse vulgaria, quia viuunt, animamq; habent.

Animatio fit ad hunc modum.

SVmito Veneris, in bracteas tenues adductæ, quantum voles, decem, viginti, quadragintaúe libras, pultibus ex arsenico & tartaro calcinato subactis, incrustentur, & suo vase calcinentur, spatio viginti quatuor horarum. Tum demùm, in puluerem tusa venus abluatur, ac mundetur optimè. Iteretur calcinatio cum ablutione, ternis quater-

nisùe repetitionibus. Hac via, mundatur & purgatur à crasso virore, & immundo suo sulphure. Cauendum vtiq;, à calcinationibus cõmuni sulphure factis: nam quod bonum est in metallo, prorsum deprauat, malumq; peius efficit. Ad marcas decem istius purgatæ veneris, addatur vna puræ lunæ. Verùm vt medicinæ, per proiectionem opus acceleretur, ac imperfectum corpus faciliùs penetret, cunctásque partes naturæ lunæ contrarias expellat, fermenti perfecti medio id ipsum fieri poterit. Etenim ab immundo sulphure, coinquinatur opus, vt ad superficiem transmutati, nubes obducatur, vel loppis sulphuris permisceatur metallum, & vnà cum illis abijciatur. Verum enimuero, si proiectio fieri debeat, rubei lapidis ad rubeam transmutationem, super aurũ, primò cadat oportet, postmodum super lunam, vel super aliud metallum repurgatum, vt suprà narrauimus. Inde perfectißimum aurum exurgit.

Capitulum decimumsextum.

De vniuersali materia lapidis philosophorum.

POst mortificationem vegetabilium, cõcurrentià duorum mineralium, vt pote, sulphuris & salis, in mineralem naturã tansmutantur, vt inde tandem, perfecta mineralia resultent. Etenim in terræ cuniculis mineralibus, & latifundijs, vegetabilia repe-

riũtur, quæ longo ſucceſſu temporis, & continuato calore ſulphuris, naturam vegetabilem exuerunt, indueruntque mineralem. Idque potiſsimùm accidit, vbi huiuscemodi vegetabilibus, proprium adimitur nutrimẽtum vt coacta ſint poſtmodum, à ſulphuribus, & ſalibus terræ, ſuum alimentum ſumere tantiſper, dum in menerale perfectum, q̧ antea vegetabile fuerat, abit, Et ex minerali conditione hac, metallica quædam eſſentia perfecta, nonnunquã oritur, idq; progreſsu vnius gradus, in alterum. Sed redeamus ad lapidem philoſophorum, cuius (vt meminerunt aliqui) materia præ cunctis eſt inuentu difficilima, & abſtruſior intellectu. Huius, vt aliarum quarumcumq;, modus inueſtigationis, & norma certiſsima, quid contineant, valeantq;, radicis eſt earũ, & ſpermatis examinatio ſedula, qua peruenitur ad cognitionem: ad hanc facit plurimùm, conſideratio principiorum, valde neceſſaria, tum qua via, quouè medio, natura primũ, ex imperfectione, ad perfectionis finem deuenerit. Cui cõſiderationi, conducit inprimis habere compertiſsimum, creata quæuis à natura, tribus conſtare primis, Mercurio ſcilicet, Sulphure, & ſale naturalibus, in vnum permiſtis, vt in nonnullis volatilia ſint, in aliјs verò fixa. Quoties corporale ſal, cum ſpirituali mercurio, & animato ſulphure permiſcetur in

corpus vnum, tum demum incipit operari natura, locis, quæ loco vasorum suorum habet, subterraneis, per separantem ignẽ, quo sulphur crassum, & impurũ, separetur à puro, & à sale, terra segregetur, nec non à mercurio, nubes, seruatis purioribus partibus istis, quas natura decoquit iterum simul, in constans corpus geogamicum. Quæ quidẽ operatio, habetur à Magis, vt mixtio coiunctióq; per vnionem trium, vt puta corporis, animæ, & spiritus. Adimpleta hac vnione, resultat inde purus mercurius, qui si p meatus subterraneos defluat, eiusq; venas, & obuiam factus cahoico sulphuri, hoc ipso coagulatur mercurius, pro conditione sulphuris. Est tamen adhunc volatilis, & vix centũ annis, decoquatur in metallũ. Inde sumpsit originem, vulgatum hoc nempe, mercurius & sulphur, materiam esse metallorum, vt etiam ex relatu fossorum mineralium constat. Non tamen vulgaris mercurius, neque sulphur commune, metallorũ sunt materia, sed mercurius, & sulphur philosophorum, incorporata sunt, ac innata, metallis perfectis, eorumq; formis, vt nunquam ab igne fugiant, nec vi corruptionis elementorum, deprauentur. Vtique per eiusmodi naturalis mixtionis dissolutionem, mercurius noster domitus est, vt loquũtur omnes philosophi. Sub hac verborum forma, noster mercurius,

ex

ex perfectis corporibus, viribùsq; terrenorũ planetarum, venit eliciendus. Quod Hermes asserit, his verbis. Sol (inquit) & Luna sunt radices huius artis. Filius Hamuel ait, philosophorum lapidem, aquam esse coagulatam, scilicet in sole & luna. Vnde sole clariùs patet, materiam lapidis, nihil aliud esse, præter solem & lunam. Idipsum etiam eo confirmatur, quòd simile quodq;, sibi simile parit, generatq;. Et non aliter, quàm duos esse scimus lapides, album & rubeum, duæ sunt etiam lapidis materiæ, sol & luna simul copulata, proprio matrimonio, cùm naturali, tum artificiato. Et sicuti videmus virum & mulierem, absque semine vtriusque, minimè generare posse, pariformi[illegible]r vir noster sol, fœminàque sua luna, sine semine spermatèque vtrumque suo, concipere non possunt, neque ad generationem aliquid moliri. Collegerunt inde philosophi, tertium esse necessarium, videlicet animatum semen amborum, hominis & fœminæ, sine quo, totum opus eorum, irritum esse iudicarunt, & inane. Huiusmodi sperma, mercurius est, qui per naturalem coniunctionem amborum corporum, solis & lunæ, recipit eorum in se naturam, in vnione: tum demum, nec priùs, aptum est opus, ad congressum, ingressu[illegible], & generationem, per vim, & virtutẽ virilem, ac fœmineam. Hinc moti philosophi, dixerunt

runt

runt mercurium iſtum componi, corpore, ſpiritu, & anima, eúmque naturam elemẽtorum omnium, & proprietatem aſſumſiſſe. Quapropter, ingenio & intellectu validiſsimis, aſſeruerunt lapidem ſuum eſſe animalẽ, quem etiam vocarunt Adamum ſuum, qui ſuam inuiſibilem Euam, occultam in ſuo corpore geſtaret, ab eo momento, quo virtute ſummi Dei, creaturarũ omnium opificis, vniti ſunt. Ea de cauſa, meritò dici poteſt, mercurium philoſophorum, nihil aliud eſſe, quàm compoſitus eorũ abſtruſiſsimus mercurius, & non vulgaris ille. Sapienter igitur dixere ſapientibus, eſt in mercurio quicquid quærunt ſapiẽtes. Almadir philoſophus ait, Nos extrahimus noſtrum mercuriũ, ex vno corpore perfecto, duabúſque perfectis conditionibus naturalibus, ſimul incorporatis: quiquidem, perfectionem ſuam extrinſecus protrudit, qua reſiſtere valeat igni, & vt intrinſeca eius imperfectio, ab extrinſecis perfectionibus defendatur. Per hunc philoſophi locum acutiſsimi, materia lapidis intelligitur adamica, limbus microcoſmi, materiaq; homogenea vnica philoſophorũ omnium, quorum etiam dicta, de quibus antea mentionem fecimus, merè ſunt aurea, plurimæq; ſemper exiſtimationis habẽda, qúod nihil in ſe habeant ſuperflui, nihil inualidi. Summatim ergo, lapidis philoſophorum

materia,

materia, nihil aliud est, quàm igneus perfectusq; mercurius ꝑ naturā & artē extractus, idest, artificialiter præparatus, & verus hermaphroditus Adā, atque Microcosmus. Hoc ipsum philosophorum sapientissimus Ille Mercurius, asserens, lapidem vocauit orphanum. Noster itaque mercurius, is ipsus est, qui solis perfectiones, vires, atque virtutes in se continet, quique per vicos, ac domos planetarum omnium transcurrit, & in sua regeneratione, acquisiuit vim superiorum, & inferiorum, quorum etiam matrimonio, comparandus, vt patet à candore, et rubore simul in eo conglomeratis.

Capitulum decimumseptimum.

De præparatione materiæ lapidis philosophici.

ID potissimùm requirit natura, videlicet, philosophicum virum suum, in mercurialem substantiam adduci, vt in philosophicū lapidem enascatur. Porro notandum, communes illas præparationes Geberi, Alberti Magni, Thomæ aquinatis, Rupecissæ, Polydori, similiumque, nihil aliud esse, quàm particulares quasdam solutiones, sublimationes, calcinationes, & ad nostrum vniuersale minimè pertinentes, quod solummodo secretissimo philosophorū indiget igne. Ignis igitur, & azoth tibi sufficiant. Philosophos aliquarum præparationum facere mentio-

nem,

nem, vti putrefactionis, destillationis, sublimationis, calcinationis, coagulationis, deal bationis, rubificationis, cerationis, fixationis, &c. idipsum intelligas oportet, in eorum vniuersali, naturam ipsam quasuis operationes adimplere, in dicta materia, & non operarium, in vase philosophico dumtaxat, & igne simili, non communi. Album & rubeum, ex vna radice prosiliunt, absq; medio quouis. Soluitur per seipsum, & copulatur per se, albesit & rubesit, croceum & nigrum efficitur per seipsum, sese desponsat, & in seipso concipit. Decoquēdus igitur, assandus, fundendus, ascendit & descendit. Quæ quidem omnes operationes, vna sunt operatio igne solo facta. Nonnulli tamē philosophi, per summè graduatam essentiam vini, corpus solis dissoluerunt, volatileque reddiderunt, vt per alembicum ascenderet, putātes, veram esse materiam volatilem philosophorum, cùm non sit. Et si non contemnendum sit arcanum, perfectum hoc corpus metallicum, in volatilem & spiritualem substātiam adducere, tamen errant in elementorum separatione: qui processus monachorum scilicet Lullij, Richardi Angli, Rupecissę, & aliorum, est erroneus. Quo quidem opinabantur, aurum hac via in subtilem, spiritualem, & elementalem potentiam separare, quamlibet separatim, postmodum, per circulationem,

nem, & rectificationem rurſus in vnum copulare, ſed fruſtra. Siquidem, etſi vnum elementum, ab alio quodammodo ſeparetur, nihilominus quodlibet elemētum, ad hunc modum ſeparatum, in aliud elementum iterum ſeparari poteſt, quę partes poſtmodum, pellicanica circulatione, vel deſtillatione, rurſum in vnum redire minimè poſſunt, at ſemper manent volatilis materia quædam, & aurum potabile, vt ipſi vocant. Cauſa, cur ad ſuam intentionem peruenire non potuerunt, hæc eſt, quia natura, hac ratione minime diſtrahi, nec ſeparari vult, humanis diſſiunctionibus, vti per terrena, vitra & inſtrumenta. Sola ipſamet nouit ſuas operationes, & elementorum pondera, quorum ſeparationes, rectificationes, & copulationes, exequitur, abſque adminiculo cuiuſuis operantis, aut manualis artificij, dummodo contineatur in igne ſecreto materia, & in occulto ſuo vaſe. Per hominem igitur, impoſsibilis eſt elementorum ſeparatio, quæ licet appareat, non eſt vera tamen, quicquid de Raymundo Lullio dicatur, & anglico ſuo nobili aureo, quod fabricaſſe falſò putatur. Habet enim ipſa natura, in ſeipſa proprium, ſeparatorem, qui, quod ſeparat, iterum coniungit, abſque hominis auxilio, nouitque omnium optimè, vniuſcuiuſque proportionem elementi, & non homo, quicqui ſcribentes er-

ronei,

ronei, ſuis friuolis falſiſq; receptis, de volatili hoc auro ſuo fabulentur. Hæc eſt opinio philoſophorum, vt quum ſuam materiam in ignem ſecretiorem poſuerint, calore ſuo philoſophico moderato, circumquaq; fouetur, vt incipiens per corruptionem tranſire, nigreſcat: hanc operationem, putrefactionem eſſe dicunt, & nigredinem, caput corui nominant: materiæ huius aſcenſum atque deſcenſum, deſtillationem, aſcenſionem & deſcenſionem proferunt: exiccationem dicunt eſſe coagulationem: & dealbationem, calcinationem. Et quia calore fluida fit ac mollis, ceratíonis mentionem faciunt. Quum aſcẽdere deſinit, & liquida manet in fundo, fixationem adeſſe dicunt. Ad hunc modum igitur, operationum philoſophicarum appellationes intelligendæ ſunt, & non aliter.

Capitulum decimumoctauum.

De inſtrumentis & vaſe philoſophico.

PVtaticij philoſophi, perperam intellexerunt occultum, & ſecretũ vas philoſophicũ, & peiùs id quod Ariſtoteles alchimiſta (non ille philoſophus academicus Grecus) loquitur, inquiens, materiam in triplici vaſe decoquendam: item peſsimè, quod ab alio dicitur, ſcz materiam, in prima ſui ſeparatione, primoque gradu, vas metallicum requirere, in ſecũdo gradu coagulationis, atq; dealba-

dealbationis suæ terræ, vas vitreũ, & in tertio gradu ad fixationem, vas terreũ. Nihilominus per hoc intelligũt philosophi, solùm vnum vas in omnibus operationibus, vsque ad perfectionem rubei lapidis. Cum igitur materia nostra, sit radix nostra, ad album & rubeum, necessariò, vas nostrũ, ad hunc modum esse debet, vt in eo materia, regi valeat à cœlestibus corporibus. Influentiæ nanque cœlestes inuisibiles, & astrorum impressiones, apprime necessariæ sunt ad opus: aliter impossibile fuerit, Orientalem, Persicum, Chaldaicum, & Ægyptiacum lapidem insuperabilem, adimpleri: per quem Anaxagoras, totius firmaměti vires cognouit, ac præsagiuit magnum lapidem è cœlo descensurũ in terras, quod etiam post mortem eius accidit. Cabalistis vtique vas nostrũ potissimùm innotescit, quod iuxta verè geometricá proportionem atq; mensurá, & ex certa circuli quadratura, fabricari debet, vt spiritus & anima nostræ materiæ, separata à suo corpore, hoc, pro cœli altitudine secum eleuare valeant. Si vas, prærer æquum, strictius, amplius, altius, demissiusúe fuerit, quàm dominantes, & operantes spiritus, animaque desiderant, calor ignis philosophici nostri secreti (quiquidem acutissimus est) materiã violentiùs excitatem, ad operationam vrgebit nimiam, vt vas in mille partes dissiliat,

non sine periculo corporis & vitæ operantis. Contra si capacius, quàm vt calor iuxta proportionem operari valeat in materiam, irritum etiam erit opus & frustraneũ. Quapropter, summa diligentia, vas nostrum philosophicum est fabricandum. Quę verò materia sit, huiusmodi nostri vasis, intelligunt illi soli, qui in prima solutione nostræ materiæ fixæ, & perfectæ, hanc, in suam primam essentiam adduxerunt, de quo satis. Operator etiam accuratissimè notet, quidnam in prima solutione, materia dimittat, à seque reijciat. Vasis formam describendi ratio, difficilis: talis esse debet, vt natura ipsa requirit, ex vno & alio petenda, & inuestiganda, vt ex altitudine cœli philosophici, à terra philosophica eleuati, queat in fructum sui terreni corporis operari. Hanc formam vtique habere debet, vt separatio, & purificatio elementorum, quando ignis vnum ab alio pellit, fieri posit, vtque quodlibet, suum locum in quo hæret, occupare valeat, & sol, ac alij planetæ circumcirca terram elementalem, suas operationes exerceant, & cursus eorũ, in circuitu non impediatur, aut velociori motu agitetur: iuxta hæc omnia quæ dicta sunt, iustam proportionem habeat oportet, rotunditatis, & altitudinis. Instrumenta verò, ad primam mundificationem corporum mineralium, vasa fusoria, folles, tenaculæ,

capel-

capellæ, cupellæq;, testæ, cementatoria vasa, cineritia, cucurbitæ bociæ ad aquas fortes regiasq;, tum quæq; ad proiectionem in opere postremo, necessaria sunt.

Capitulum decimumnonum.

De secreto philosophorum igne.

CElebris philosophorum hæc est sententia. Ignis, & Azoc tibi sufficiant: solus enim ignis, totū opus est, & ars integra. Porro quotquot ignem suum carbonibus extruunt, errant, vas in eo calore continentes. Igne fimi equini, frustra nonnulli tentarunt. Carbonum igne, sine medio, materiam sublimarunt, sed non dissoluerunt. Alij calorem suis lampadibus excitarunt, asserentes, eum esse philosophorum ignem secretum, ad suū lapidem fabricandum. Nonnulli, posuerunt in balneum, primò in ouorum formicarum aceruis: alij in cineribus iuniperinis: aliqui ignem in calce viua quæsiuerunt, in tartaro, vitriolo, nitro, &c. Alij in aqua ardente, vti Thomas de Aquino, falsò de hoc igne loquitur, inquiens, Deum & angelos suos carere nō posse hoc igne, sed eo indies vti. Quæ blaspemia hæc est? an non manifestissimum est mendacium, Deum carere non posse elementali igne aquę ardentis? Calores omnes, ijs medijs quę dicta sunt, excitati per ignem, ad opus nostrum prorsus inutiles. Vide ne

ſeducaris ab Arnaldo de Villanoua, qui de carbonum igne ſcripſit: ipſe namq;, hoc ipſo te decipiet. Almadir ait, ſolos radios inuiſibiles ignis noſtri ſufficere. In exemplum adducit alius, calorem cœleſtem, ſuis reflexionibus ad coagulationem, & perfectionem facere mercurij, necnon ad metallicam generationem, continuato ſuo motu. Iterum idem, fac ignem vaporoſum, digerentem, vt coquentem, continuum, non tamen volantem, aut bullientem, clauſum, aere circundatum, non comburentem, ſed alterantem & penetrantem: iam verè dixi, omnem ignis, & excitandi caloris modum, ſi verus es philoſophus, bene intelliges: hæc ille. Salmanazar inquit. Ignis noſter, corroſiuus eſt ignis, qui ſupra noſtrum vas, aerem vt nubem obducit, in qua nube, radij huius ignis occulti ſunt: hoc rore cahos, & humiditate nubis, deficientibus, error commiſſus eſt. Rurſum Almadir ait, niſi ignis, ſolem noſtrum humore ſuo calefecerit, per fimum montis, aſcenſu temperato, non erimus participes albi neque rubei lapidis. Hæc omnia demonſtrant apertè nobis, occultum ignem ſapientum. Summatim, hæc eſt materia noſtri ignis, videlicet, vt accendatur, per quietum ſpiritum ſenſibilis ignis, qui ſurſum pellit, velut calefactum cahos, ex oppoſito, ac ſupra materiam noſtram philoſophicam, qui

calor

calor ſupra vas noſtrum gliſcens, ad motum perfectæ generationis, conſtanter intermiſſione ſine, temperatè quidē vrgeat. hæc ego.

Capitulum uigeſimum.

De fermento philoſophorum, & pondere.

PLurimùm in arte fermentorum, & fermentationum laborarunt philoſophi, quæ potiſsima videtur inter alias, de qua etiam nonnulli, Deo votum, & philoſophis exhibuerunt, ſe nunquam eius rei manifeſtū arcanum, ſimilitudinibus, neque parabolis prodituros. Cum tamen philoſophorū omnium pater Hermes, libro ſeptem ſuorum tractatuum, fermenta luculentiſsimè patefaciat, inquiens, non niſi ex paſta ſua conſtare: ac latius, fermentū dealbare confectionem, & aduſtionem impedire, fluxumque tincturæ prorſus retardare, corpora conſolari, & vnionem ampliare. Dicit etiam, hanc eſſe clauem, atque finem operis, concludens fermentum, aliud nihil exiſtere, niſi paſtam, vt ſolis, nil niſi ſolē, & lunę, nihil aliud quàm lunam. Alij, affirmant fermentum animam eſſe, quæ niſi ritè pręparata ſit ex magiſterio, nihil etiam efficere. Artis huius nonnulli zelores, quęrunt artem in ſulphure cōmuni, arſenico, tutia, auripigmento, vitriolo, &c. at fruſtrà. Quoniam, eſt eadem ſubſtantia, quæ quæritur, cum ea ex qua depromi debet. No-

tandum igitur, eiuſmodi fermentationes, ex voto zelotum, non ita ſuccedere, atque vellent, ſed vti ſuprà patet ex dictis, ſucceſsibus tantùm naturalibus. Vt ad pondus tandem veniamus, dupliciter hoc obſeruandũ, prius eſt naturale, alterum verò artificiale. Naturale conſequitur effectum in terra, per naturam, & concordantiam, de qua Arnaldus. Si terræ plus aut minus additum fuerit, quàm natura patiatur, ſuffocatur anima, nulluſque fructus percipitur, nullaque fixatio Idipſum de aqua cenſendum, ſi plus iſtius aut minus accipiatur, non inconuenientius dampnum attulerit: cuius ſuperfluitas, materiam vltra modum humidam reddit, eiuſque defectus, eam iuſto ſicciorem efficit, ac duriorem. Si plus aeris adfuerit, tincturæ nimium imprimitur, ſi parum, pallidum corpus euadet. Itidem ſi vehementior ignis exiſtat, aduritur materia, ſi remiſsior, poteſtatem exiccandi non habet, neq; ſoluendi, aut alia elementa calefaciendi: in his pondus elementale conſiſtit. Verùm artificiale, eſt occultiſsimum, cùm in arte magica ponderationum ſit concluſum. Inter ſpiritum, animam & corpus, aiunt philoſophi pondus conſtare ſulphure, tamquam operis rectore, etenim anima, ſulphur apprimè deſiderat, neceſſariòq; obſeruat, ratione ponderis: ad hunc modum intelligito. Materia noſtra, eſt vnita rubeo ſulphuri

phuri fixo, cui tertia pars regiminis commiſſa eſt, vſq; in vltimum gradum, vt perficiat in infinitum operationem lapidis, & cum eo perſiſtat, vnà cum igne ſuo, & pondere conſtet æquali, cum ipſa materia, in omnibus & per omnia, ſine variatione alicuius gradus permutationis. Poſtquam igitur materia adaptata eſt, & proportionato ſuo pondere mixta, vaſe philoſophorũ optimè ſigilloq; ſuo concludenda, & igni ſecreto cómittenda, in quo ſol philoſophicus orietur, ac ſurget, necnon illuminabit omnia, quæ ſuum lumen expectarunt, ſpeq; plurima deſiderarunt. His paucis, concluſum eſſe volumus lapidis arcanum, nullo puncto mancum, neque defectuoſum, pro quo Deo gratias agimus immortales. Iam vobis Theſaurum noſtrum reſerabimus, totius mundi non perſoluendum opibus.

Finis.

Thesaurus Thesaurorum Theophrasti Paracelsi.

Natura mineralium genus vnum, in terræ visceribus produxit admirandum, idque duplex: hoc varijs Europæ locis reperitur. Optimũ, quod mihi præ manibus oblatum fuit & experimento comprobatum, ex figura maioris mundi, ab exordio, spheræ solis est astrũ: alterum, in astro meridionali consistit, in prima sua florescentia, viscus est terrę, per suum astrum in lucem productum, & in prima sua coagulatione ornatum rubedine, in eo flores omnes mineralium & colores includuntur, de quibus multa penes philosophos. Quod ad frigidam humidamq; naturam attinet, ad aquam, comparatione quadam, fuit adaptatum. Verùm eius notitia perfecta, ad experientiam collata, plurimos, imò ferè omnes philosophos, quotquot ante me sagittas suas ad metam emiserũt hactenus, adhuc latuit, frustraque conantes, latissimè declinarunt à scopo vero, & completo. Opinati sunt mercurium, & sulphur, matrem, & patrem esse metallorum omnium, verùm enimuero tertij non meminerunt. Imò quod potius est, horum nullus, rete piscatorium adhuc in manus asumpsisse potuit, quod aquæ veræ conuenit, matri metallorum, quę-

quidem,

quidem, artificio ſpagirico ſeparata, ſuos piſces palam facit, quos neq; Galenica piſcatio, nec Auicennæ rete lacerum, apprehendere potuerunt vnquam. Si modernis phyſicis demonſtrare deberem, vel ſolum nomē coniunctionis, ſolutionis, & coagulationis, quas ipſa natura, in principio mundi, hoc in ſuo creato patefecit, & demonſtrauit, annus vix ſufficeret, aut papyrus omnis quātacumque, ad eos erudiendum. Dico quidem, hoc in minerali, tres haberi ſubſtantias, vtpote Mercurium, Sulphur, & mineralem aquam, ex quibus compoſitum eſt, & arte ſpagirica ſeparatum, ſoluitur in proprio ſuo liquore nondum maturo, & vti pyrum in ſua arbore occultum eſt. Occultator pyri eſt arbor, in quam, vt aſtra, naturaque ſimul conueniunt, virides ramos edit, Martioq; poſtmodum atomos, & flores patefacit, vſq; in fructus pyriq; productionem, faciunt progreſſum, autumno tandem fructus emergunt. Non abſimili modo, cenſendum eſt de mineralibus, in viſceribus terræ, quæ per aſtra protruduntur: quodquidem alchimiſtæ ſummè conſiderandum venit, ad naturæ theſaurum anhelanti. Cuius artificij modum, ab initio, medio, & fine, tractatu ſequenti, vnà cum aqua, ſulphure, balſamoque ſuis, aperiam. Quorum trium ſolutione, & rurſus in vnum coniunctione, totum rei negotium abſolui-

tur,ad hunc modum. Sumito mineram cinnabaris, quam abluas aqua cœlesti, per tres horas, tandem cola, & solue aqua regis, ex vitriolo, sale petræ, & sale communi facta. Per alembicum abstrahatur, reaffundatur, & cohobando curetur, vt purum separetur ab impuro, quod infrà. Putrefiat equino fimo per mensem, & postmodum separentur elementa, vt quum signa sua patefecerint, per alembicum destillentur igne primi gradus, quo aqua & aer ascendunt primò, tandem ignis, idq; reliquis gradibus, quæ ab experto operatore discerni poterunt. In fundo vasis terra manet in qua latet id omne, quod à multis quæsitum fuit, à paucissimis tamen inuentum. Terram hanc reuerberatorio conclusam, artificialiter calcinabis, à primo in quintum gradum procedendo, gradu quolibet, spatio quinque horarum: hoc fiet, vt sal volatile habeas, admodum subtile sicut alcool, & constans astrum ignis & terræ, quod separabis per elementa aquæ & aeris, quæ seruasti prius. Tandem, ponas in digestionem balnei maris, per octo horas, & videbis, quod à multis alchimistis incognitum hactenus fuit, & minimè consideratum. Separa, iuxta tuam experientiam, artificiosè, & spagirico modo, reddetur ipsa terra, mirum in modum alba, ex qua, tinctura fuerit extracta. Coniunge elementum ignis, cum sale

terræ alcolizato, per digeſtionem, & pellicanicum artificium, adhuc aliud ſedimentum ponet iſta ſubſtantia, quodquidem, à puro ſeparabis. Tandem accipe pellicanatum leo nem, qui ab initio inuentus eſt. Quum videris tincturam eius, & elementum ignis ſuper aquam, aerem, atq; terram, ſepara per tritorium, & ſolem eiuſmodi cola, per inclinationem, eſt enim aurum potabile. Alcoole dulci vini perfundatur, & abſtrahatur, vſque dum acuitas nulla percipiatur amplius, aquę regis. Separato hoc oleum ſolis, & ponito in retortum, ſigillo hermetico clauſum, ad eleuationem, id eſt, ad exaltationem, vt in gradu ſuo dupletur. Recipe vitrum hoc occluſum, & in locum frigidum ponito: nō ſoluetur ibidem, ſed coagulabitur, idque tertiò repetendum eſt, ſoluendo & coagulando. Hoc artificio, tinctura ſolis perficitur, in ſuo gradu. Tumdemum, ſumito huius duplum, veneris ad ſummum, & ſpagirico modo præparatæ, ad quam elementa aquæ, & aeris affundas, quæ ſeruaras, ſoluito, ac putrefacito per menſem, vt prius. Et quum ad perfectionem deuenerit, videbis ſignum elementorū. Separa vnum ab altero, ſiquidem oculariter apparet, ab albo, rubeum ſecretum. Hoc ab albo ſeparabis, eſt enim tinctura rubea, tam potens, vt alba corpora quæque, in rubedinem tingat, vel rubea, in albedinem, quod

valde

valde mirum eſt. Tincturam hanc, per retortum vrgeto: videbis nigredinem aſſurgere, quam iterum vrgebis per retortum, idque ſæpius, donec albeſcat. Proſequere hoc tuũ opus, nec animum deſpondeas, præ nimio labore. Toties rectificato, quouſq; viridem leonem, verum & clarum videas, ponderoſum, & grauem, qui tingit in aurum perfectum. Non deſiſtas ab opere, cuius nunc meminimus, donec ſigna habeas, & videas leonem atque theſaurum, Leonis decimi theſauro non perſolubilem. Bene ſit illi, qui reppererit, & ad tincturam applicare nouerit. Hoc eſt balſamum verũ, aſtrorum cœleſtium, quod nullum corpus, in putrefactionẽ abire ſinit, lepramq́; nullá, podagrá, aut hydropiſim inexpulſas relinqt, adminiſtratione grani vnius, ſi fermentabitur cũ ſulphure ſolis. O tu Carole Germane, vbi tuũ theſaurũ habes, vbi tuos doctores, atq; phyſicos, vbi ligni guaiaci coctores, qui dũtaxat purgãt, & laxant? Siccine cœlum tuum irritatũ eſt, & aſtra tua deuiarunt à recto curſu, lineaq́; tua paluſtris, in aliam viam declinauit? Quid, oculi tui in vitrum, & carbunculum tranſmutati ſunt, vt ſolùm videant ea q́uæ ad ornatũ & ſuperficiale ſpectaculum pertinent, faſtũ & ſuperbiam? Sanè ſi tui Doctores, Principem ſuum (quẽ Galenum vocant) apud Inferos degere ſcirent, indeq́ue huc reſcripſiſ-

ſe, quo

ſe, quo meritam ſui condemnationem toti mundo palam faceret, vulpina cauda præ ſtupore ſeſe inſignirent. Non minus de Auicenna cenſendum, in Inferni porticu ſedente, quo cum, diſputationem & contreuerſiã habui, quod ad aurum ſuum potabile, necnõ ad lapidem ſuum philoſophicum, ſuamque teriacam attinet. O vos laruæ ſophiſtarum, qui medicam artem ementimini, cum tamẽ ex Deo nata naturæ ſit commiſſa, non vobis indigniſsimis hominibus, à quibus immeritò ſpernitur. Videte vos hominum impoſtores, qui cathedras in terra ſuperiores amatis, ſuper quas etiam ſedetis, poſt obitum meũ, exurgent mei diſcipuli, qui vos Hypocritas palam facient, ac in lucem prodent, vnà cum veſtris coquis immundiſsimis, qui veſtros Principes & Potentatus Chriſtianos, miſerè seducitis, & in mortẽ adducitis, veſtra medicina. Vę vobis in extremo die Iudicij. Spero meam Monarchiam, honore mihi debito triumphaturam. Non quod meipſum extollam, ſed ipſa natura me. Ex ea ſiquidem natus ſum ego medicus, ipſam ſequor, ipſa me nouit, & ego ipſam noui, quia lumen, quod in ipſa eſt, vidi, in figura Microcoſmi comprobaui, ac in ſuo mundo ita eſſę reperi, quod verum eſt. Vt tamen ad inceptum redeam, meiſque diſcipulis faciam ſatis, quibus etiam, doctrinam meam impertiens op-

timè

timè faueo, dummodo eam quærant in luce naturæ, & experiantur, astrorum cognitionē habeant, ac in philosophia docti sint: omnia docebit eos, ac patefaciet, aquæ natura, & omne quod scripsi.

Sumito igitur, liquoris mineralium quantū voles, salis rubeæ terræ, partes duas, sulphuris solis, partem vnam. In pellicano posita soluantur, & coagulentur, idque tertiò. Hac via tincturam habebis alchimistarum, cuius pondus, hoc loco minimè describendum, sed libro de transmutationibus. Quicumque solis astri, vnciam vnam habuerit, & super aliquot vncias auri proiecerit, proprium suum corpus tinget. Astrum mercuri si habuerit, totum corpus mercurij vulgi similiter tinget. Si veneris astrum, non absimili modo, veneris corpus integrum, in optimum aurum tinget, inque summam, & constantem perfectionem: sic de reliquis metallorum astris iudicandum, vt Saturni, Iouis, Martis, &c. Ex quibus etiam, eadem ratione, tincturæ trahuntur, hoc loco minimè describendæ, quòd libro de natura rerū, & archidoxorum habeantur, His paucis, primū ens metallorum, & mineralium terræ, satis abūdè, veris alchimistis, vnà cum tinctura alchimistarum, declaratum volo. Nec est, quòd quispiam operantū deterreatur, spatio temporis mensium nouem, verùm, progrediatur

absque tedio, spagirico ductu, quo, quadraginta diebus alchimisticis, figere poterit, extrahere, exaltare, putrificare, fermentare, & coagulare lapidem alchimistarum, ad honorem Dei, & vtilitatem proximi. Soli Deo laus, honor & gloria in æternum.

FINIS.

MONARCHIA TRIADIS, IN VNITATE, SOLI DEO SACRA.

Autore Gerardo Dorn,

Doctore, Physico, interprete Germanico à translationibus, Illustrissimo Principi, Francisco Valesio, Duci Andegauorum, Biturigum, Alenconio, Turonensi, &c.

Autoris Contestatio.


Ibenter ac sæpius abstinuissem, à propalatione sacrorũ Dei mysteriorum. Verum aliud quid facere licet, ac decet, quàm quò Fata trahunt, obtemperantissimè sequi? Fateor ingenuè, hoc loco me nihil præterquam sub diuino dictante spiritu, scriptorem, & monitorum eius exaratorem agere, velut è profundissimo somno extitatum. Quid miser homo de se promere, præter meram ignorantiam potest, aut quid habet quo glorietur potiùs, quàm à Deo gratiam assecutum, seruitio dignatum eius, & obsequio, cui soli gloria conuenit? Faxit igitur qui potest, velleq; solus habet vt tam fœlici ductu, comitibusq; fidis, inchoatum hoc iter eo fine perficiam, ad quem ipse nutu suo dirigere voluit. Minimè dubitandum, quin ad vindicias veritatis ab ijs oppressæ, qui falsò hactenus eam sibi totam vendicarunt: & in liberationem eorũ qui his ducibus ita cœcutiuerunt, vt carneis oculis apertissimis, mente quidem nihil vidente, nunc vtrobiq; lucem videant eius, qui lux est, & lucem inaccessibilem inhabitat: Cui soli honor, laus & gloria perennis.

PROLOGVS.


Summa Bonitas æterne Deus, fieri haudquaquam poteſt, vt humanus intellectus, abſq; maxima ſuæ mentis conſternatione, vel minimum punctum inexhauſtæ Tuæ Sapientiæ conſiderare, taceo quidem vt exprimere titubante lingua, vel tremente calamo ſcribere valeat: ni iuſſu Tui Sacratiſsimi Spiritus, in cordibus hominum idipſum imprimentis, fiat, quos etiam admonere tacitè, & indies exhortari nō ceſſat, ad Veritatis confeſſionem in omnibus. Quandoquidem attentari vel exequi, à quopiam in terris viuentium, ſi debeat, lumine diuini tui ſplendoris, illuſtretur inprimis neceſſum eſt, vt ignorantiæ ſuæ tenebras agnoſcat, ingenueque fateatur, ab eis nulla ratione liberari poſſe, quàm tua potenti manu. Et ſi fortè, ſuaſu Calumniatoris à ſeipſo petat auxilium, in profundiorem captiuitatis lacum ſe mergi comperiet, quòd per ſe nunquam aliud medium liberationis inueniet, quàm laqueum quo ſeipſum irretiuit ab initio, recedēs ab obedientia, quam tibi Creatori ſuo debuit. Huius indies euidentiſsima, nobis ob oculos proponuntur exempla, per ea quæ hactenus infidelium, Æthnicorum, & Paganorum ſcripta produnt ex mundana Sapientia: præſertim circa tractationem facultatum artium &

ſcientiarum omnium, in quibus, nil niſi vias à Veri ſcopo declinantes, quærunt ac docēt. Idipſum, non aliunde quidem ortum habet, quàm ex ſuis principijs, & fundamentis, quę non hauſerunt, vt oportuit, ex vero fonte Veritatis, centro ſcientiarum omnium, ſed ex oppoſito, falſoq; mendaciorum centro, Dualitate videlicet. Et quod peſsimum eſt, hos ſuos errores pertinaciſsimè defendere munireq́; ſtuduerunt, contra quoſcumque pios bonoſque viros, qui deuios ad Veri centrum ex Deo reducere conantur. Quibus, vt reluctentur atrociter, Valla fabricarunt, atq; propugnacula, quò melius falſitatem peſsimè fundatorum principiorū contegāt, ac tueantur. Vt illud eſt omnium primum, & potentiſsimum erroris ſui munitentum, vtputa. Contra negantem principia (inquiunt) non eſt diſputandum. Quid mirum? ad eum fabrefacta modum, vt ſi ſemel concedantur, in errorem & confuſionē incidere ſit neceſſum eum, qui aſſenſerit. Hac via ſolent malè cautos homines irretire, captioſèq; fallere tenebrarum filij, qui ſemper in ſua natione, filijs lucis prudentiores extiterunt: etenim à parente ſuo, ſerpente nimirum didicerunt, quā habent ſapientiam. Verùm vbi ab his qui veritatem ſectantur, ac ſapientiam à centro veri tenent, ſuperati, mox ad calumnias confugiunt, appellantes eos, qui ſuos errores pa
lam

Iam faciunt, asinos. O hominum insania, qui non vident, quocumq; se vertant, in maximam ignominiam impingere. Vtinam asini códitionibus ornaremur, quo monstrorum inter equos & asinos, mulorum, & mularum calumnias ferre possemus, cum patiẽtia. Hinc fit, vt suos baiulatores præferant suis parentibus. Quandoquidem natura cóparatum, vt magnetica virtute, simile semper trahatur à sibi simili. Haud digni sunt Æthnicones & Paganistæ, nobiscum ad exẽplum eius, qui summa Sapientia est, asinum epuitare, quò fit vt monstra sibi delegerint. Non caret suo præsagio sanè, monstrorum equitatio talis. Quid miramur, si quandoq; Deus animosos nonnũquam excitet equos, asinis impatientiores, qui contra fœtus monstruosos, dum in superbiam & ignorantiam, ita pertinaciter acti sæuiunt, calcitrare moti sint. Si genus hoc hominum esset asino dignum, vtiq; submitteret sese iugo patientiæ, quod fræno haud indiget, vel capistro: hoc ipsum imitarentur ab asino, quòd suos gressus, vt iste, pedetentim ac humiliter examinarent, cum patientia, ne laberentur in ignorantiam. Hoc est, sua fundamenta diligentiùs contarentur, num solidis constarent lapidibus, à rupe Veri desumptis. Porro cogentur inposterum ad lapidem lydium, quanquam inuiti, venire, iudiciumq; sui non


ſine maximo dedecore videre & audire. Nũquid honoratius foret, ingenuè ſuum errorem fateri, & pœnitentia duci, ad Veri centrum, ac vitę ſemitam, quàm in eo, per latam viam ad interitum, & perditionem ita conſtãter perſeuerare. Quod quidem vt faciant, rogamus omnipotentem Deum, iſtorum hominum oculos aperire dignetur, & mens eorum oculus fiat, vtque Spiritu diuino ſuæ gratiæ tracti, redeant ad cẽtrum veræ ſapientiæ: de cuius fonte, viuas hauriant aquas, abiecta ſordium ſcaturigine, quibus hactenus ſubmerſi, perſiſtunt adhuc in eis obſtinatiùs, quantò magis hominibus innoteſcunt. Bone Deus Potens ac Miſericors, noſti quantis periculis, ægri ſint ob falſæ medicinæ Æthnicorum introductionem, expoſiti, præſertim hac tempeſtate, præ cunctis corruptiſsima; qua nedum in medicina corporea, verum etiam in ea quæ ſalutem animæ concernit, omnia contra veritatem certare totis conatibus, palam eſt, at fruſtra. Per te ſiquidem reddimur certiores, quotquot eius tuæ ſapientiæ Centri fuerunt ac erunt ignari, nunquam veri quidpiam tractaſſe, vel tractaturos, imò cõtra, quidquid conati ſunt, hoc ipſum non ſolùm in ſui ruinam & perditionem tendere, verum etiam eorum qui hæc veſtigia ſequuntur: idque, verbo tuo, dũ aſſeris nobis in perſona filij tui dicentis: Ego

ſum

ſum via, veritas, & vita. Inde conſtantiſsimè colligimus, noſtris in actionibus omnibus, artibus, ac ſcientijs, à cẽtro veri progreſſum, ad ſanitatẽ & vitam facere debere nos, cùm in hoc mundo, tum in futuro ſæculo. Primo verbo, charitas in fratres: ſecundo, fundamẽtum ac finis actionum & operũ noſtrorum: tertio vero, vtraque ſalus in vnitatis Centro quærẽda præfiguratur. Teſtimonium etiam habemus certiſsimum, optime Pater, Medicum & Medicinam creaſſe te, ac velle propter hanc, illum eſſe honorandum, quod nemo verè chriſtianus in dubium reuocat, modo vera ſit, & non falſa medicina: quarum differentia, non meliùs neq; exactius, quàm à ſuis principijs petenda. Horũ igitur anatoniam ex vtraque parte, (Deo duce) fœliciter auſpicabimur in ſequentibus ab vnario.

DE VNARIO.

Simulacrum Vnarii, ab Vno infinito, & indeterminato, determinatè creati.



Semper ſui ſimilis.

Imago veri, quieſcens in vnitate ſui cẽtri, in infinitũ diffuſi, nec niſi pũcto (tamẽ inuiſibili) circũquaq; mẽti cõſpicui, ſumma cũ admiratione, laudeque, digniſſimũ exemplar.

Capitulum primum.

Ab initio, priuſquàm Altiſsimus Deus, hominem vltimam creaturam ſuã procrearet, ad Imaginem & ſimilitidinem ſuã, voluit ex nihilo creare domicilium eius, & in eo quicquid vſui foret illi, nec id imagine ſua diſtitutum eſſe voluit, quòd primã creaturam viſibilem ſtatuerat. Hanc ordine pulcherrimo creatã, numeris, menſura pondereq; diſpoſitam, admirando quidem ornauit artificio. Quibus tribus inſtrumentis, tamquam ideis primis, & formis vti decreuit in hoc opere ſuo. Vnde, non inconſultè, neque temerè colligimus, homines fundamentorũ artium, & ſcientiarum ſuarũ principia, medicinæ præſertim (quæ prima ſeſe obtulit homini poſt lapſum neceſſaria) ſumma cũ reuerentia, & gratiarum actione, haurire debere. Maximè quòd videamus, ſummum Creatorem his numeris & menſura, & ponderibus vſum fuiſſe, cùm eis non indigeret, (potuit enim cuncta creaſſe nutu ſolo, qui Deus eſt omnipotens) verùm, vt nobis hominibus de ſe nihil potentibus, exempla-

ria

ria sua daret, ad cuius normam, quicquid in hoc mundo essemus operaturi, perbellè referremus, omnemque nostram sapientiam, à fonte sapientiæ Deo, & non aliundè ortam agnosceremus, eique omnem ferremus acceptam gratiã. Quapropter ex diuinis eiusmodi simulachris, nostra principia medica, vt æquũ est orta, desumptaque docebimus, idq; validissimis argumentis, & exemplis irrefragabilibus: contra quæ tam atrociter sæuiunt Æthnici, Paganiq; medici, quorum ex aduerso principia pariter ponere statuimus, vt toti mundo pateant vtraq;, liberumq; sit iudiciosis hominibus, inter ea discernere verum à falso fundamento. Consolamur apprimè, nos à fonte Veri pendere, ac in eo christianos imitati Doctores, & non gentiles, nec infideles: tùm nostros inimicos nil contra nos adducere posse, præter autoritates hominum à Deo reprobatorum, & veritatis prorsus ignarorum, existentis in Deo solo, quem nunquam cognouerunt. Doceãt vnum inter suos Doctores & sapientes, Deũ ex Veritate cognouisse, vel qui non blasphemus in Deum Deíque filium fuerit (vt Princeps ille Medicinæ Galenus) vel idololatra non extiterit, & per consequens, contradictionis spiritu seductus non fuerit. Nihilominus volunt istorum discipuli Veritatem dici, & haberi, quod scribunt ac docent: hac


ratione ducti, quam proferre tam impudenter non verentur, in artibus nempe, & in facultatibus, nihil agi de Deo. Ac si concluderent, illas absq; Deo posſidendas, & exercẽdas. Quæ blaſphemia hæc eſt. Inde luce clarius liquet, nihil ex charitate ſuos facere medicos, at ſolùm ex auaritia. Poſunt eſſe medicus, & medicina ſine ſuo Creatore? Sed miſſos faciamus eos homines, qui talia vel cogitant, & ad animi conceptum veniamus. Deus vtique pura, & ſimplex eſſentia per ſeipſam conſiſtens, incomprehenſibilis per alium, inuiſibilis, indefinibilis, & indiuiſibilis, per Vnitatem nobis præfiguratur, quæquidem multitudinis expers, contrarietatẽ non admittit, & per conſequentiam, nullam infirmitatem. Mundus cùm ad Imaginem, & ſimilitudinem vnitatis à Deo creatus ſit, in ea perſtitit Vnione, quamuis per numeros ordinatus (vt iſtorum in Geneſi fit mentio) quippe qui, naturam Vnionis ad huc retinerent ſub hominis obedientia, multitudinẽq; nullam efficerent, vſquedum per Dualitatem Binari ſeductus, in multitudinis contrarietatem, & inobedientiam præcipitaſſet, veſteque perfectionis exutus, tum ſanitate mentis & corporis, omnis vitij labem, infirmitatis, & morbi miſer contraxit. Priùs medicina quapiam non indiguit, quàm in morbum hunc omnium genus morborum primum,

mum, incidisset, omni ſanitate priuus. Cùm igitur origo prima morborum omnium, homini contingat, per receſsum eius ab Vnitate, ſequitur, in Vnitate ſola, ſanitatem omnẽ conſiſtere, & hanc in illa neceſſariò quærendam. Iam videamus in quos morbos inciderit, in erubeſcentiam videlicet, mortiſq; horrorem atque timorem vtriuſque. Ergo ſpiritu & corpore malè ſanus, quòd in vtramque mortem exitum faceret, ac ad vtriuſque vitæ mox à lapſu tenderet in interitũ: duplici pariter vt ſeruaretur, medicina fuit opus, Miſericordia Dei videlicet, ac pane: ſub quo poſteriore, corporis medela continetur, his diuinis correctionis & punitionis verbis. In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo. Panis hic, non ſolùm intelligendus, quo ſuſtentatur corpus ad alimentum, verum etiam quicquid homini ad vitã eſt neceſſariũ. Morbido maleq; ſano corpori, medela ad vitam eius, panis eſt, quo ſi deſtitutũ erit, non ſecus atq; ſi careat cibo, morti ſit obnoxium. Maximo ſanè diſpendio, panem benedictionis, pro pane ſudoris, doloris, anxietatis, & curæ cõmutauimus. Panis itaq; medicinæ (non ille qui per hanc artem acquiritur, ſed qui ad ſanitatem recuperandam eſt neceſſarius) alio loco minimè quærendus, quàm eo, in quo nobis deperijt, vtputa in fœlicitatis & vnitatis horto, quem breuibus explicandum ſuſcepimus.

ſcepimus. Antea tetigimus mũdũ ipſum, ad Imaginem & ſimilitudinem Vnitatis diuinę conditum eſſe. Quandoquidem ſua rotunditate mirum in modum abſoluta, pura meraque ſimplicitas abſque multitudine, qua dotatus eſt ab initio ſuæ creationis, apertè nobis innoteſcit. Videmus enim corpus ſphericum, quantumcumque ſit, & quàquà verſum agitatum in plano, ſolùm in puncto quieſcere, quod habet pro fundamẽto, quodque centrum ſuũ occultum, ad ſuperficiem circumquaque manifeſtum facit. In eo myſteria magna, tùm naturalia, tùm ſupernaturalia latent, item artium & ſcientiarum omnium arcana. Si mundus igitur in vnione ſua permanſiſſet, non erat opus medico, nec medicina. Quapropter omnis medicinæ finis eſt, vt ad Vnionem ægrum reducatur, in qua medicinæ principia noſtra fundauimus. Reliquum erit vt examinemus, vbi ſua depromſerunt aduerſarij.

DE BINARIO.

Simulacrum Binarij ab Vnitate recedentis, unde mors occaſionem cępit.



In

In Monomachia Contrarietas.

Imago falsi, pacem lacerare, & alteram se Monarchiam extollere conata, ab Vnitatis simplicitate, in Dualitatis confusionem diuisa est, & in cornua quatuor caput erexit, super quę Monomachiā fabricauerūt impij.

Capitulum secundum.

POstquam Altissimus Deus Angelos suos, & gloriæ suæ ministros creasset, sub Vnione suæ pacis & concordiæ, surrexit ex accessorio casu, hominum intellectui minimè cognito, primas inter creaturas, Binionis atq; Dualitatis, inimica Deo confusio, quæ propter assumptam multitudinem, dissensionis, contrarietate suffragante, imaginem Vnarij creatam, in Binarium, Diuinitati contrarium ex diametro, contraq́ue Veritatem pugnantem, transmutauit. Quiquidem Binarius, diabolus, & calumniator effectus, vel solo cogitatu / hoc videlicet, vt aliam strueret Monarchiam, eamq́; vel æqualem, vel Deo superiorem. Verùm non citiùs conceptum crimen læsæ diuinæ Maiestatis, quàm, deiectus è cœlo Binarius, vnà cum suis complicibus, extra lucem, in tenebras exteriores decidit, mortisque perpetuæ pœnas dedit, absq; tormenti fine. Quo melius rem ipsam declaremus, rationem circini producamus in medium, cuius pes vnus con

uenit

uenit centro, tamquam Creatori, pes alter circumferentiæ, veluti creaturæ. Cum igitur angelus reprobatus, suum Creatorem in Vni uersi productione conaretur imitari, propriũ sibi circinum fabrefecit in animo peruerso. Super aliud centrum itaq; fabricare coactus est, quòd duo centra, non conueniant in vna monarchia, neque duæ circumferentiæ. Hac de causa Binarius meritò vocatus, quia vnitatem veriq; centrum, ad multitudinem reducere numeri conatus est, assumptóq; centro falsi, duxit circonferentiam ad medietate, quò cum peruenisset, circonferentiæ pes, in aliud iterum centrum mutatus, aliá priori similem circonferentiam mediam nihil concludentem, sed interruptam, falsi figurã præseferentem cum alia deliniauit: vnde bestiæ serpentisq; duplicis effigies, cornua quatuor erigentis in cœlum, & contra veri Monarchiam, erepsit. Perpetrato primo crimine, radiceq; malorum, & vitiorum omnium, cecidit regnum hoc diuisum in seipsum, vnà cum suo Principe Lucifero, suisque legionibus commilitonum. Non est ergo quòd miremur, si Deus in Creatione Mundi (vt in Genesi habetur) die secundo non dixit, vt alijs quinque diebus hoc verbum, scilicet, Vidit quia bonum esset, ob numeri primordium, vnde multitudo sumpsit orignem, confusionis, diuisionis & controuersiæ, vt suprà auditum


ditum est accidisse de Binario. Non ideo cõcludimus duo prorsum esse reijcienda, modo tamen in Vnione persistant, vti duo in carne vna. Verùm quoties diuisa sunt in Binionem, id est, bis vnionem efficiunt, cum Binario esse reprobata, constanter asserimus, vnà cum sua prole quaternario, id est, quaternatio, vel variato, ex Biuariato generato. Quoties igitur duo vel plura pacem obseruant in vnitatis veritate, bene constitutam esse dicimus Duernionem, & non Dualitatem, Non ita de Binione, vel bis vnione censendum, quia non debent nec posunt esse duæ Vniones, sed vna tantum, vt non nisi Deus vnus, & non plures, neque pauciores esse possunt. Ternarium etiam, nolumus interpretari teruariatum, quia proles est & fœtus Vnarij, qui nunquã variauit ab Vnione, quod fecit Binarius. Vt nos recolligamus ad ea quæ proposuimus dicere, Auditum est supra, Binariam illam diuisam Monomachiam cornua quatuor erexisse, partu Binarij procreata. Hæc elegerunt sibi sapientes Æthnici & Pagani medici, pro suo fundamento, quo distraherent Vnionem in quatuor, eóque Diabolum duplo superarent, qui tantùm in duo, sed frustra, lacerare conatus est. Exemplo patet, cùm ex Vnico humore, quẽ Deus creare esseq; voluit, quatuor humores statuerunt malè cautis, & nõ sanis hominibus persuadere.

ſuadere. Miror, cur magis quatuor humores eſſe poſsint, quàm quatuor ſiccitates, totidē frigores, & calores: quatuor aquæ, quatuor ignes, quatuor aeres, quatuor terræ, & quatuor mundi. Miranda quę confuſio, & abſurſurda quæſo? Qua Pagani & infideles Veritatis ignari, nos Chriſtianos. Vtri ſectatores, ad ſuam inſaniam trahere nituntur miſeri? Non vident quocũq; ſe recipiant, nihil pręter inquietudinem animi reperire ſe, nil certi, veri, ſtabiliſq; nihil, de quibus apud Apoſtolum his verbis, ſemper ſtudentes, & nunquam ad Veritatis notitiam peruenientes: quòd vniti nihil in ſuis ſtudijs, ſed contraria ſint omnia. Exemplo ſuo proprio patet, cùm per Maximam ſuæ medicinæ docent, contraria contrarijs eſſe curanda: quid hoc aliud eſt, quàm fateri ſe natos ex Binario, qui radix eſt omnis contrarietatis. Bello ne, vel pace quæſo, contrarietas, id eſt infirmitas naturæ, vel imbecillitas eius (quę propter contrarietatem & bellum inteſtinũ partium recedentium à concordia ſeu vnione ortum habet) fuerit amouenda? Pace dixerit vir ſapiens ac prudens, non diſsentione. Ignē igni, & morbum addere morbo quid inter ſe differunt? Non iuuerit eos etſi reſpondeant, aquā ignē per contrarietatem extinguere. Non vident iterum miſeri, hoc fieri extra monarchiam. At in Monarchia nihil contrarietatis admittitur,

titur, quę si violenter & præter naturam irrumpat, morbus introductus est, & Binarius, qui prorsum abijciendus: vt humani corporis monarchia, per harmoniam, & non per monomachiam conseruetur. Concludẽdum igitur, Æthnicos doctores, Binarij filios per quaternarium existere, quòd ex radice binarij quatuor illa cornua generata sint, in primum numerum quadratum: vt in typica figura præcedenti per a. b. c. d. proponuntur oculis, ambitio, brutalitas, calumnia, & diuortium, in Monomachia diaboli diuisa, quã relinquentes Monarchiam nostram vnitissimam prosequamur.

DE TERNARIO.

Simulacrum Ternarii, ab Vno immenso creati.



Inuidet Fœlicitati miſeria.


Imago Microcoſmi, per Binarium ſeducti & in Monomachiam adducti, non citiùs definibilem, quàm Binarius ab vno iudicatus ſit, cum ſibi cohærentibus.

CVm igitur ſummus Creator Deus, videret quos crearat Angelos, ab vnitate defeciſſe, Bonitate ſuaq; prouidẽtia, Ternariũ, & Microcoſmũ, vltimamq; ſuam creaturam condere ſtatuit, in locumq; ſubſtituere, deiectarum à cœlo primarũ creaturarum. Quod percipiens miſer ille Binarius, inuidia quadam innata, captioſiſque rationibus, idq; ſophiſticis, pomum vetitum, inobedientiæ radicem, in Monarchiam eiaculauit, quo quidem ab vna parte dumtaxat laceram, non prorſum diuiſam tamen, ad finem, & mortis latam viam adduxit, ſub omega faciem: & pomum, perditioniſque panem, in duo diuiſum, diſtribuit, in fœminæ mariſque ſeductionem, vt patet in ſequentibus.

DE

DE MONOMACHIA.

Simulacrum lacerati Ternarii.



A præcepto lapsus, quo sine prius erat.

Imago laceræ Monarchiæ createę, in Monomarchiam à Binario seductæ, lacerantisq; pomi pariter laceri, miseriarum originis.

Capitulum quartum.

IAm demum considerandum, vnde processerunt errores in medicina, & vnde corruptiones omnes in reliquis philosophicis professionibus. Nemo sanæ mentis negabit ex pane, morsuq; vetiti pomi, hoc ipsum per serpentem Binarium, in Microcosmum Ternarium irrupisse, quod ex præcedentibus colligere facillimum.

Non potest ergo tolli morbus à Ternario per Binarium, neq; per eius prolem quaternarium, sed per Vnarium solum in Triade dominantem ęqualiter. Cum Diabolus mo-


narchiam Ternarij, per pomum lacerasset ab vna parte tantùm, nō potuit effecisse, vt prorsum in separatas partes distraheretur irreparabiles, vt ipse, qui nullam spem reconciliationis habet. Verùm, in modum postremæ, finalisque literæ ω omega, finem & mortem significantis, relinquere coactus est: non eâ, qua ipse calumniator moritur absq; fine, sed quæ misericordiam esset consecutura per Christum, qui est alpha α & ω omega, & cuius virtute, omega hoc, ad alphæ normam atq; typum restituetur, vt proximè sequenti simulacro patebit apertiùs, Quid hoc sibi aliud velle videtur, quàm Dei misericordiam erga hominem, ob oculos nobis proponere, qua post lapsum, ad priorem statum suę Monarchiæ restitutus est, excepto solùm radicis pomi tantillo, propter quod Monomachia tantisper nobis excercenda, dum in corruptibili hoc domicilio, morabimur? Vt rem dilucidiùs tractare valeamus, est quòd circinū à Binario per imaginariam artem fabrefactū, quàm antea clarius examinemus. Auditum est in præcedentibus, imaginarium instrumentum hoc, vnà cum suo fabro deiectum è cœlo, in tenebras exteriores, hoc ipsum, ad manus resumere non cessat, calumniator ille Binarius quo Monomachiam suam indies contra Deum & homines dirigere conaturat frustra. Quandoquidē inuicta, & in-
su-

insuperabilis Dei potestas, cõtra quam, nulla resistẽtia, nulla reluctatio quicquã potest, Architectum falsi machinatorem, & instrumenta sua, toties in foueam confusionis & perditionis relegat in æternum, quam sibimet fodit, quoties artes suas & technas exercere nititur, contra monarchiam nostram per imaginationem circinũ suum nobis obtrudens ac præfigurans. Nouit calumniator, nobis ob lapsum in quem traxit nos, iniunctã esse pœnã laboris, atque vultus nostri sudoris, ad acquirendum panẽ & necessaria victui, tũ vsui. Quapropter occasione sumpta hinc, in artes suas nefarias inducere nititur, quibus ea comparemus, quæ minimè salutaria sunt. Verùm Deus nobis instrumenta proposuit, quibus vti nos vult, & quibus artes nostras ad parandum panem conformemus. Nõ indiguit Creator Deus in mundi creatione vel tempore, vel instrumentis, quibus opificium suum in ordinem redigeret. Siquidem, vt supra diximus, nutu solo, ac momento, hunc ordinem omnẽ obseruare potuit, quẽ videmus: Attamẽ, vt nos doceret omnia, cùm petere, tũ quęrere quę necessaria sunt, per sudorem & artes, vera nobis proposuit instrumenta diuina, videlicet, numerum, mensuram, & pondera, iuxta quæ, singulas actiones, scientiarumque normas, ordinaremus, & renunciaremus Binarij ca-

lumniatoris circino, cum reliquis omnibus falſis ac imaginarijs inſtrumentis. Cæterùm conſiderandum, qua via, quibuſúe inſtrumentis, lacera noſtri Ternarij monarchia, ſit ad vnitatis, & ſanitatis integritatẽ reducẽda. Primò omniũ, ad Veri & Vniuerſi centrũ animũ aduertamus, in quo numerus omnis, mẽſura, pondus, & cuncta Sapientia latet, quod ſemper luculentius patebit in ſequentibus.

DE INSTAVRATIONE TERNARII.

Simulacrum reſtituti Ternarij ad Vnitatis ſimplicitatem.



Renata pœnitentia.

Imago nouæ creaturæ ſola Dei potentia reſtitutæ.

Capitulum quintum.

VEra medicina, quà lacera Ternarij monarchia, quod ad ſpiritum attinet reparatur.

paratur, Veri centrum esse fatendum est: non secus atq; medicina corporis eius, centrum est vniuersi. Quæ non duo centra, sed vnicũ, vti spiritus & corpus hominis, vnicus homo. Diuersis tantùm respectibus, ob diuersa quibus assumũtur, dumtaxat animo discernenda, tamquam increatum, & creatum, quę sub vnione concludenda sunt. Reijciendum est igitur imaginarium illud centrum Binionis, à calumniatore positum, vt hoc medicamẽto, Ternarius, ad verum Vnarij centrum, & ad priorem Monarchiam, à Monomachia liber, adeptà victoria, per suum Redemptorẽ adducatur. Non possunt enim in vnica Monarchia, plura centra, neq; pluribus circunferentijs concludi potest spacium vnicum. Hæc de medicina, contra spirituales ægritudines dicta sint. Iam ad corporalem illam & physicam veniendum est, vt eius quaternarius, ad prioris medicinæ cum ternario copulam accedens, conueniant ambo simul in septenario. Quaternarius enim habetur loco materiæ, vel corporis, ob elementa quatuor, quæ naturæ materiam vniuersam exhibent, vti cœlum eidem præbet omnem formam, & actionem in materiam. Morbus autem, est impresio mali, per actum centri falsi, in corpus ad pasionem actioni similem, dispositum. Ex aduerso Medicina, est represio mali, per actum Veri cẽtri & vniuersi, in cor-


pore ad paſsionem actioni ſimilem diſpoſito. Cùm igitur ex vna radice morbus omnis, ex vna radice pariter omnis medicina progreſſum habet: quid quæſo generare de ſe poteſt vnum, aliud quàm ternarium? Rurſum, quæ fatuitas Æthnicorum, vnius & vniuerſalis Medicinæ fœtum quaternarium ſtatuere, ſub quatuor humoribus, cùm hæc ſit proles Binarij? Doceant ipſi duo poſſe rerum eſſe vera principia, vbi alterum, falſum non deprehendatur. Interea nos ad inſtaurationem laceræ monarchiæ redibimus. Summa virtus atq; bonitas immenſa centri inuiſibilis, & indiuiſibilis, tantæ eſt efficaciæ, vt omne quod ſibi conforme ſimplicitate fuerit, ac rotunditate ad ſe trahat. Quo fit vt homo, qui ad ſimilem ab initio creatus eſt imaginem, licet in ea non permanſerit, nihilominus, vbi deperditam ſanitatem, corporis, vt mẽtis, medio ſolius eiuſmodi cõformitatis recuperare ſtudeat, ab omnibus liberabitur imperfectionibus & morbis, ac ad priorem formam reſtituetur. Quod videre licet, ex typo renatæ pœnitentiæ, in quo centrum veri & vniuerſi. a. ſubleuat b. d. laceri Ternarij, brutalitatem atque diſcordiam excludens extra monarchiam, ac ad initium, alphæq; formam, omegæ finem adducens. Idipſum clarè nobis declarat, quod loquitur Deus his verbis. Ego ſum alpha & omega,

prin-

principium & finis. Etenim ipſe principium non habet, neq; finem, ergo de nobis intelligere nos docet, in eo noſtri nos initium & finem agnoſcere debere. Quamuis etiam ad initium prioris ſtatus, monarchia creata, nobis per Chriſtum reſtituta ſit, ne tamen, eius tantiq́; beneficij vnquam eſſemus immemores, pomi lacera circonferẽtia, monarchiam hanc noſtram adhuc interſecare percipitur, monomachiamq́; ſuam exercere cõtra nos, dum in caduco verſabimur, nedum in animo ſed etiam in corpore. Ternarius igitur animi, ſiue mentis, medicina eſt eius increata, ex increato veri centro: corporis autem creata medicina, ex vniuerſi creato centro nata.

DE TERNARIO MEDICINALI.

Simulacrum reſtituti Ternarii medicinalis.



Renata Monarchia.

Imago Sanitatis, adæquata proportione Ternarij, reiecto Binario.

Capitulum ſextum

VT tandem noſtra principia, cõtra ſuos inimicos in palæſtrã adducamus, has theſes ipſis maſticandas proponemus. Vnitas, medicina haudquaquam indiget, quòd ſit ipſamet ſanitas. Dualitas medicinam recipere nullo modo poteſt, cùm in perpetuũ condemnata ſit abſque miſericordia. Solus Ternarius eſt is, qui medicinam recipere poteſt, quia dignatus eſt gratia, per eum qui ſolus eſt miſericors. Quamobrem igitur, attribuunt Æthnici, medicinæ doctores quaternario, quod nulla ratione quadrare poteſt ad medicinam. Condemnatus eſt, vnà cum ſua radice Binario ſcilicet, vnde generatus, eiuſdem conditionis atque naturæ, cuius parentes. Fructus enim ex arbore mala, bonus minimè producitur. Ædificium itaq; ſuum, ſuper hoc fundamẽtum fabricare pergant, culmineq́; protegant, aeri ventis, & fulmini Iouis obnoxio, dum nos in ſolidis petris ædificamus. Dicimus & aſſerimus, tres dumtaxat eſſe primas in homine ſubſtantias, & nõ qualitates, at bene qualificatas, in quibus, vt ſanitas per vnitatem, non aliter morbus per Dualitatem ortum habet. Quarum prima,

calor est naturalis, vt radix vitæ: secunda, radicalis humor, vt vitæ fomentum, sine quo persistere non potest illa: tertia, sal est naturale, vt balsamum, quo priores partes à corruptione tutæ sint, cui sua natura sunt obnoxiæ. Non alia ratione tres partes etiam primas, in quibus tria principia medicinæ consistunt, constanter & intrepidè profitemur, & affirmamus, vtpote Sulphur, Mercurium, & Sal naturalia. In quocumq; corpore igitur, hæc tria per vnionem conueniunt, verè sanũ iudicari potest: in quo verò non ' morbum & mortis radicem primæ subintrasse. Propterea non negamus (quod falsò nobis obijciunt inimici) quatuor elementa, imò potiùs, ac longè saniùs quàm ipsimet approbamus, cùm docemus, in vnaquaq; dictarum primarum partium, elementa quatuor inseparabili vinculo naturæ quodam existere. Elementorum separatio, naturæ prorsum re luctatur, cui minimè diuinitus concessa est, hominibusq; minùs. Aliter in sui destructionem operaretur, quod minimè contingit: imò potius in sui propagationem eorum assidua commixtione laborat. Hoc ipso redarguuntur illi nugarum seminatores, qui separationes elementorum apparatu maximo præscribunt, aliter quàm per amotionem im puritatis à puritate, manẽte nihilominus inseparabili consociatione, concordiaq; naturali

rali per Vnionem. Diabolus maximopere nititur ea ſeparatione deſtruere naturã, vnà cum ſuis operibus, eoq; ſuos diſcipulos indies exhortatur. Dicimus ergo, nos non ſeparare elemẽta, ſed ab vnoquoque corpore, partes primas ex quibus compoſita ſunt, ſua retinente qualibet elementa, minimè ſegregata, ſed potiùs à ſuperfluitatibus, & immũdicie depuratiſsima. Quæ tria quidem vt approbemus, parui nobis admodum laboris, & negotij fuerit. Notiſsimum eſt, ea in quæ reſoluuntur corpora naturalia quæque, partes ex quibus conſtabant ab initio ſuæ compoſitionis, exiſtere. Nullum enim corpus à natura compoſitũ, in plura neq; pauciora, poteſt artificio ſolutionis partiri quàm tria, ſpagiris compertiſsimum eſt, ſcilicet in Sulphur, Mercurium, & ſal: quod etiam ad oculum demonſtrare poſsunt. Quamobrem igitur Æthnici doceant, plures corporum naturalium partes, non videmus niſi quòd reſolutionem ignorarunt rerum creatarum, & Creatorem ipſum ex Veritate non cognouerunt, quò factũ, vt non niſi per fallaciſsimas vmbras de ſingulis, & de natura iudicare potuerint. Etenim qui Veritatis ignari ſunt, vt iſti, de re quapiam verè diſſerere aut loqui, non eſt poſsibile, ſed falſò & perperam garrire neceſſarium. Videtur ijs qui nullam ſuæ doctrinæ fecerunt anatomiam, tales homines

nes honore dignos esse, qui mundum fabulis implere fallereq; norunt, sermonis elegãtia, vel alio quouis ornatu, laruarum instar suos errores contegere. Verùm si quis eorum fundamenta diligentiùs examinet, laruamq; diripiat, luculentissimè fucum suarum inuentionum, non aliunde, nec altiùs, quàm ex meris proprijsq; somnijs haustarum, in serie verborum latere, statim experietur. Si docere non possint sua principia ex centro Veri procedere, necessariò concluditur ex centro Falsi deprompta fuisse, quòd præter has duas, nulla sit artium & scientiarũ radix. Cur itaq; patiemur à cęcis, & Veritatis ignatis duci nos, ad Veri noticiam, idq; coactè, ac inuitò. Fatuum & christiano minimè dignũ, ab infideli & inimico Dei seduci, hac persuasione, vt ab eius farinæ hominibus addiscatur, christianis reiectis ac spretis Doctoribus. Non æquè mirum Æthnicos, suis, suique similibus, scripsisse, & istos ab illis didicisse friuola quæque. His enim vlteriùs progredi, quàm ad vmbras quasdam Veri, datum nõ est, quo forent inexcusabiles. Æqui boniq; sectatoribus iudicium relinquimus, vtrũ detestabilius, Paganos & infideles suis scripsisse tantùm, vel christianos illorum doctrinã amplecti, qui christianis minimè scripserũt. Nede sunt eiusmodi fideles homines, qui per fas aut nefas defendũt ea quę sibi suęq; ꝓfessioni

ſioni maximè contraria ſunt & Veritati, calumnijsque adoriuntur eos, qui ſeduci nolunt. Quid mirùm, alia non habent arma, quibus contra Veritaté pugnent, quàm Dux eorum ſuppeditauit Binarius ille Calumniator. Faciant quod poſſunt, victoriá nunquam aſſequentur, aduerſum pigilem inuictiſsimum Deum. Reſiſtamus igitur quiſquę pro ſua vocatione, philoſophus in philoſophia, medicus in medicina, ſic de reliquis. Diximus antea veræ principia fundamentaq; medicinæ, Sulphur videlicet, Mercuriũ & ſal, correſpõdere calido naturali, humido radicali, & balſamo naturali, calidum & humidum à putrefactione conſeruanti, per tẽperationem frigido & ſico ſibi innatis, factã. Notandus hoc loco ſagacis prudentiſq; naturę pulcherrimus ordo, quę, vt humidi cum calido putrefactioné arceat; frigidũ & ſiccũ ſimul in vnum ſubiectum concluſit, quo tertio ſale ſcilicet, veluti medio quodam inter alia duo, ſulphur & mercurium, temperaturam efficeret, in ſanitatis conſeruationem. Luce clarius patet, ad coniunctionem duorũ diuerſæ naturæ proprietatiſque, vel quoquo modo contrariorum, neceſſarium eſſe medium vtriuſque naturæ particeps, in extremis. Ad hæc dicent forſitan aduerſarij, calidum & humidum non eſſe contraria. Quibus vt peſsimè fundatis in Phyſica, reſpondemus,

demus, calidum ad ſiccitatem, innata ſibi natura tendere, humidum autem ad frigiditatem, quibus qualitatibus contraria ſunt calidum & humidum, & eiſdē in ſale ſimul cōiunctis, conueniūt, ea ratione qua ſal eſt ſulphur aqueum: intelligenti pauca hæc ſufficiant. Si quis nos interroget quid ſal ſit, reſponſum huic volumus aptiſsimè, calore congelatam aqueam terram eſſe, frigoreque terream aquam diſsolutam. In hunc rurſus lapidē impinget nō ſatis eruditus, inquiens: Videtur contra naturam, frigore terram ſolui, cùm potiùs areſcat, caloreque liqueſcat. Ignorare fatebitur ſe, naturalem tranſmutationem elementorum, hactenus cenſor hic temerarius cognouiſſe. Verùm vt habeat quo ſuum acuat ingenium, hæc & ſimilia melius maſticanda relinquemus, alio loco latiùs explicanda, noſtrumque proſequemur inſtitutum. Sal itaque reſolutum, aquæ naturam induit, congelatum verò terræ proprietatem habet: quam ſi contingat in aquam tranſire, hanc in aerem, & iſtum in ignem tranſmutari, quid obſtabit quin ad terram iterum fiat reditus? Natura proportionem hanc optimè nouit æquis ponderibus obſeruare. Non negamus igitur elementa quatuor, neque qualitates, verùm non cōfundimus, vt aduerſarij faciunt. Non aſſumimus etiam pro medicinæ principijs aut

fundat

fundamentis, vt illi. Solùm dicimus, Sulphur nostrum vnicam habere qualitatem propriã & innatam, scilicet calorem igneum, inclinatum ad siccitatem terream: item nostrum Mercurium etiam vnicam agnatam, vtputa humiditatem aeream inclinatam ad frigiditatem aqueam: quæ omnes in Sale nostro concluduntur, diuersis tamen respectibus. Nolumus etiam cum ipsis ineptire, qui asserunt qualitates morbos esse, vel efficere, morbos malè habere, aut qualitatibus esse curandos, quod malè sanorum iudicio hominum esse videtur. Contra dicimus, ægra corpora tantùm, esse curanda sanis corporibus, ætherogeneis præsertim. Vt naturale sulphur intrinsecum, deuians ab vnionis simplicitate proportioneue, reducẽdum est ad hanc normam ęqualitatis, per sulphur extrinsecum, ab omni corruptione & impuritate suis, arte spagirica repurgatum: sic de reliquis, mercurio scilicet, ac sale. Hæc ratio nullis argumentis cogitur cedere, vtputa, naturam ipsam humani corporis, proprium sibimet esse medicum, qui ab extrinseco medico, nihil aliud requirit, præter instaurationem, aut vti loquuntur fortificationem, exteriori medicamento repurgatissimo, partique peccanti natura simili, non accidente, adhibitam. Inde labefactas vires naturales reassumit, quibus recuperatis, per se potens

est

eſt omnes inimicos ſuos à ſua Monarchia pellere, virtute ſola vitalium facultatũ. Summatim, noſtra hæc eſt opinio, videlicet, morborum omnium in genere corporalium, originem veram, eſſe naturalis proportionis enormitatem, primorum trium quæ dicta ſunt, ſub quo genere generaliſsimo, tria ſunt vti morborum, pariter & medicamentorum, totidem inferiora genera, ſuas in ſpecies diſtributa. Per ea palam, & expreſſè negamus, quod Æthnici Paganiq; doctores perperam ſcribunt, ac docent, ægra corpora qualitatibus cõtrarijs curari debere. Quid aliud hoc eſt, præterquam, naturæ bello ſatis inteſtino labefactatæ, bellum extrinſecum in omnimodam ſui ruinam gerere? Pacem quærit ab omni controuerſia liberam idque ſolùm, amicorum & ſui ſimilium auxilio. Si quis obijciat nobis, eſſe facile cùm affirmare, tum negare ſingula, præter ſcholarum autoritates & iura conſueta. His reſpondemus ingenuè, nos renũciaſſe in perpetuum, Æthnicis & Paganis dogmatibus, ſcholis, & autoritatibus, quibus etiam vt inimicis veritati, non indigemus ad probandam veritatem: hęc ſola nobis eſt autrix & ſchola, ex qua noſtra depromimus argumenta. Quibus, ſi quiſpiam contradicere volet, hunc obteſtor vt calamo pariter faciat, præloq; ſuis commiſſis, vti hæc toti mundo palam faciat, idque


dum viuo, reſpondereque poſſum: non poſt mortem, quod præceptori noſtro Paracelſo faciunt aduerſarij, putantes ipſum eſſe mortuum, at falluntur miſerè, cum ſcriptis immortalis ſit. Docebimus latius autoritatibus eiuſmodi, quibus reſiſtere ſcholæ Paganorum vel Æthnicorum haud vnquam poterunt, ni volent pro more ſuo Deo calumnias, & ſuis operibus obijcere, quòd in ſui ruinam cedat oportet, quotieſcumque fecerint. Hactenus prima noſtrę medicinæ principia, per numeros myſticos approbauimus, quod hac vice facere ſatis putamus probis piiſq; viris, quorum gratia ſcripſimus, alios parum aut nihil exiſtimantes. Supereſt, vt menſuris iam ſtabiliamus dicta prima fundamenta, licet per ſe conſtantiſsima. Cum totus mundus, machinæq; ſuæ pondus omne, fundetur ſuper inuiſibile ac indiuiſibile punctum, quod centrum eſt vniuerſi, diuino quidem ordine tam admirando, vt ne pilo dimoueri lato valeat: aliter naturam ipſam ruere poſſe, conijcere licet, quòd in medio ſita ſit Infiniti. Mirum at ſumma cum veneratione conſiderandum, opificium Dei tam immenſum, in puncto circumquaq; citra vacillationem & immotum quieſcere. Quicumq; huius puncti, centrique rationem cognoſceret, nihil in rerum natura latuit vnquam, cuius non perfectam haberet noticiam. In eo ſiquidem re-

dem rerum abditarum fundamentum & radix cùm consistat, non immeritò, nostrarum artium & scientiarum fundamenta naturalia, hinc primúm elicienda nobis veniunt. Quod antea per numeros, sub vnitate ac triade fecimus, nunc verò per centrum aut punctum vnicum, in monarchiam cóclusum, sub sphæræ forma, trigonum primum corpus occultum, ad nostram intentionem est quòd eliciamus, vt inde perfectionem bene fundatæ nostrę medicinæ comprobemus. Vniuersi corpus vnum, tribus primo constare corporibus, nobis est ex eo iudicãdum, quia vnum de se nihil generare potest, præterquam tria. Dicimus ergo tria, corpus vnum per compositionem, verbo diuino triplici factam, conflare. Componẽtes vniuersi partes, alijs modo iuuat explicare vocabulis, quàm præceptor noster Paracelsus, ad hunc modum videlicet. Primam, igneam substantiam esse dicimus, vitam & motum, vel animam elementorum in se cótinentem: Secundam, æream substantiam, vitę fomentum, & spiritum elementorum habentem: quæ duo simul appellationem cœli meruerunt, æthereæq́; regionis: Tertiam verò, terream & aqueam substantiam, simul ambæ corpus elementorum, sub appellatione terræ gestantem. Constat ex genesi, mentionem esse factam Cœli Terræ, & Aquæ tantùm, Ignis & aeris verò nul-

lam, quòd iſta duo ſub alijs concludantur, vti ſub cœlo ignis, & ſub aquis ſuperioribus aer. Nihilominus tria primò corpora, nobis proponuntur à Moyſe, videlicet Cœlũ, Terra, & Aqua: Paracelſus alijs vocabulis, Sulphur, Sal, & Mercurium, iuxta Phyſicam, interpretatus eſt. Nos igitur cuilibet horum trium, à debita naturaliq; proportione recedentium, peculiarem trigonum aſsignemus, ex veritatis corpore ſphęrico deductum, vt in typica figura videre licet, a, b, d. ſulphuri, b, g, m. mercurio, d, m, h, ſali. Quibus in trigonum diſpoſitis, aliud includunt ſanitatis & Vnionis trigonum, b, d, m, à cuius centro ad angulos dicti ſani trigoni, ducta circũferentia, per centra tranſit, aliorum trium ægrorum trigonorum æqualiter, à quibus centris, lineæ rectæ ad angulos trianguli ſani ductæ, figuram perfectionis hexagonam & æquilateram deliniant. Hoc nobis pręſagium eſto, bene fundatorum noſtrorum in trigono, medicinæ veræ principiorum. Cæteras in trigono æquilatero noſtro conſideremus ſuperfectiones. Videmus ipſum quatuor ſuperficiebus, trium angulorum ſingula, concludi. Hoc ipſo nobis præfiguratur animi, per tria ſignificati, cum corpore per quatuor deſignato, pulcherrimam coniunctioné, quá nonnulli ſolent appellare mentem ſanam in corpore ſano: Paracelſus verò cum ſuis, philoſophiam

losophiam adeptam. Hoc ipsum matrimonium inseparabile, confirmatur, in angulis hexagoni, cũ suo centro copulatis, ęquali distantia sese respiciẽtib. Plura de his scribere possemns, nisi lectoris animũ afficere tædio vereremur: suo tẽpore tamẽ adducẽda sunt.


Principiorũ ueræ Medicinæ triũ, primorũq;, per mensuras mysticas approbatio.



IAm fundamenta nostrorum aduersariorum, à quaternario sumptorum, examinemus per trigonum, quò videamus, an singula centra suorum trigonorum, per circunferentiam sub vnionis centro, sanitatisq; ductam, attingantur. Quapropter ex æquilatero quadrato, delinientur trigoni a, b, d, itẽ b, g, m, tertius d, m, k, qui trigonum includãt, b m d & sub centro huius medij trigoni sanitatem designantis, circunferentia ducatur. Videmus eam, non transire per singula centra reliquorum trigonorum, à quibus centris lineæ rectę, ad angulos trianguli sanitatis ductæ, figuram quidem hexagonam constituunt, sed non perfectam, neque æquilaterã. Vnde colligendum ex aduerso, nostrorum aduersariorum principia medica, in quaternario fundata, per binarium esse manca & nullius perfectionis. At si dicãt, nos sumpsisse trigonos non æquilateros. Iam si velint similibus examinari, non oportebit ex quaternario æquilatero petere, sed ex inæquali & imperfecto, vt per l, k, s, t, notatur. Et hac via patebit eorum imperfectio principiorũ, quæ ex imperfecto sumpta sunt. Quocumq; se vertant, nisi redeant ad trigonum æquilaterum nostrum, ex perfecto corpore sphęrico natum, hanc Binarij prolem quaternariam, in confusionem abire necessum est. Sed videãt ipsi, an alia via posint ruinã euadere.

Prin-

Principiorum falsæ Medicinę per mysticas mensuras reprobatio.



Reſumptio eorum quæ ſuprà dicta ſunt.

NE Binarij quaternaria proles, aduerſaria pars, & inimica Vero, calumniandi habeat occaſionem, autoritates pij probiq; viri Io. Tritemij, præ cæteris in adepta philoſophia peritiſsimi, quib. ea quę ſcripſimus confirmabuntur. Non Æthnicus, neque Gentilis, ſed Chriſtianus fuit, vt ex eius ſcriptis apertiſsimè liquet. Hæc ſunt quæ locutus, vel ſcriptis familiaribus & amicis tantùm, protulit. Ad Vnitatem reducendus eſt omnino Ternarius, ſi mens harum rerum velit perfectum intellectum conſequi. Vnarius enim, non eſt numerus, at ex ipſo, numerus omnis conſurgit. Binarius ab Vnitate recedens, primus eſt numerus compoſitus. Reijciatur itaque Binarius, & Ternarius ad Vnitatis ſimplicitatem conuertibilis erit. Solis vnitatibus conſtat omnis numerus. Nonne res omnes, ab Vnitate fluunt, bonitate Vnius, & quicquid Vnitati coniungitur, non poteſt eſſe diuerſum, ſed fructum edit ſimplicitate & aptatione Vnius? Quid ex Vnitate naſcitur, nonne Ternarius? Vnarius igitur eſt ſimplex, Binarius compoſitus. Ternarius verò ad Vnitatis reducitur ſimplicitatem. Rurſus Vnum eſt principium purum. Binarius ab Vnitate recedens, componitur, quia impoſ-

ſibile eſt eſſe duo principia. Solus ergo Ternarius ſacratus & virtute potens, Binario ſuperato, ſuum in principium, non natura, ſed ſimilitudinis participatione reuertitur, in quo ſine contradictione, myſteria omnia arcani pulcherrimè ordinati, mens intelligit. Hęc eſt fortitudimis totius pulcherrima virtus, quæ vincit omnia mundana. Cęleſtis eſt noſtra philoſophia, non terrena, vt ſummum illud principiũ, quod Deum nuncupamus, mentis intuitu, per fidem, & cognitionem fideliter aſpiciamus, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Vnum principuim, Vnũ Deum, Vnumq́ue ſummũ bonum, in Trinitate perſonarum ſempiternum exiſtentem, veraciter credentes, purè cognoſcentes & feruentiſsimi amoris, & ſeruitutis cultu, ſemper adorantes, à quo ſunt omnia quę vſpiam eſſe poſſunt. Ad hunc niſi mens animata conſurgat, nihil eorũ quę pulchra ſunt, vnquã intelliget, ſed in ſua tabeſcet ignorantia. Non eſt vulgaris hic aſcenſus, neq; eorũ imitatione conſequi poteſt, qui vna dumtaxat ala ſurſum feruntur, ſed paucissimis admodum familiaris: illis videlicet, qui ſemet in vnitatẽ, non temerè tamen, reduxerunt. Multi quidem conantur, ſed nõ eſt in mente omnium ternarius. Nonne ſuſpecturi cœlum, neceſſariò primùm caput eleuamus, reclinamuſq́ue poſtquam ſuſpeximus. Solis enim oculis in-

tueri ſolem licet, aures non vident: vt igitur conſcendat animus, non auris fiat, ſed oculus & cor, fiatq; ex Ternario Vnitas, participatione bonitatis ad principium. Quia vnũ ſolum eſt bonum & omnipotens, non duo, neq; plura. Niſi igitur fiat Vnitas, non fiet in mente ſimilitudinis coniunctio, neque boni participatio, & ſine his, nulla tranſcenſio. Niſi autem hæc præcedant, neque ſuperiorum intelligentiam, neque inferiorum propriã & perfectã cõſequi poterit quiſpiã operationẽ. Res autem cùm vniuerſales, tum particulares, neceſſario, & rerum conditiones, quædã ſunt manifeſtę, aliæ manifeſtiores, nonnullę verò manifeſtiſsimæ: & aliæ ſunt occultæ, occultiores, & occultiſsimæ, tam ſenſui, quàm rationi. Hanc diuerſitatem operatur ipſa rerum natura. Hinc fit etiam, vt quidam homines alijs euadant longè ſapientiores. Magis autem ſapiens dicitur, qui minus circa perceptibilia percipit. Numerus ordine conſtat & menſura. Ordo quoque ſine numero, & menſura eſſe non poteſt. Menſura autem, & numero conſtat & ordine. Vnitas verò hîc & Ternarius, numerum nõ admittunt, ſed omnem exuti multitudinem, innata ſibi puritate ſimpliciſsima, in primo gradu conſiſtunt. Hęc ad ſuperos via, per quam antiqui ſapientes, intellectu profecti, rationiſq; verę ductu, plurima perceperunt, quæ vltra humanum

captum

captum, à nostris nunc reputantur sapientibus. Vis audire plenius. Studium generat cognitionem: Cognitio autem, parit amorẽ: Amor, similitudinem: Similitudo, coniunctionem: Coniunctio, virtutem: Virtus, dignitatem: Dignitas, potentiam, & Potentia, miraculum efficit. Hoc iter vnicum ad perfectionem adeptæ philosophiæ, cùm in diuinis, tum in naturalibus, à qua procul arcetur & confunditur omne superstitiosum, præstigiosum, atque diabolicum. Enimuero nihil aliud, per adeptam philosophiam intelligi volumus, quam sapientiam, physicarum, & metaphysicarum rerum intelligentiam, quæ diuinarum & naturalium virtutũ scientia constat. Harmoniam cœlestem, non materialem, sed spiritualem consonantiam, nobis suspiciendam, scias oportet, vbi numerus, ordo, mensuraq; per Ternarium in Vnitatem conueniunt: ad quam cõsonantiam, inferiora nostra omnia, sunt conformanda. Fatuum est harmoniam arbitrari cœlestem, stellarum consonantiam, causante motu, perceptibilem auribus formare sonum. Sed hanc supergredi necesse, vt Ternario paretur ascẽsus, ad eam quæ supercœlestis est harmonia, vbi nihil materiale, sed spiritualia sunt omnia. Inde menti, vnde etiam prouenit, assumenda similitudo. Stellaris enim harmonia, nec mentem dedit, nec influxum eius.

Qui-

Quicumque conditionem cœlestis harmoniæ notam obtineret, cùm præterita quæq; tum futura cognosceret. Quis autem dabitur ex milibus vnus, qui harmoniam hãc intelligat cœlestem? Ad supercœlestem mens nata est, cuius etiam similitudine viuit. Astra nihil intelligunt, nec sentiunt quidem, vnde nec sapientiam menti nostræ conferunt, neque aliquod in nos dominium habent, qui per spiritum ambulamus, confitentes Dominum Iesum Christum, omnia in sua potestate habentem: ad cuius nos similitudinẽ, pro viribus, & quantùm licet nobis, oportet cõfirmari. Ipse enim est sapientia Dei Patris, ipse est fons & origo scientiæ, ipse est animi Centrũ, & per ipsum facta sunt omnia. Mens est libera, quæ nec stellis subijcitur, nec earũ influentias concipit, neq; motum sequitur, sed supercœlesti principio, à quo, & facta est, & fœcundatur solùm communicat. Finem cogitemus igitur quò tendimus, & principium amemus vnde sumus. Profundorum secretorum hæc est radix, & fundamentum omnium creaturarum. Prima diuisio naturalis, radicem scientiæ consummatæ producit, cuius annotatio hæc est. Quatuor sunt matres eorum, quæ in ordine sunt nouissimo: & quatuor patres eorum quæ in principio. Horum nexus, & primùm connexum, & vltimum simplex, purum, vnicum, solum,

omnia

omnia tingit. Terra ſimplex elementum, purum, & primum, ab Vno procedens, nõ componitur, nec mutatur, nõ patitur cõnexionẽ, ſed manet quod eſt incorruptibile, & in vno conſiſtit vnum, & non vnum, non eſt numerus & eſt numerus, non numeratur, & numeratur, inter ipſum & vnum non eſt numerus. In Vnitate manet vnum, & per complexum efficit Ternarium, quem octies complectẽs, mirabili natura, omnia reducit ad Vnum: virtus eius à nullo magiſtrorum explicari, per omnia poteſt. Non eſt ipſum quod colimus Deus, creatum eſt enim. Animi hominis eſt imago, nec viua, nec mortua, per quã in omni ſcientia, mirabilis effectus fit. Amicè tibi dico, ſumma cum veritate Dei. Quicumque huius puræ ſimplicitatis, noticia ſimplici fuerit ſublimatus, in omni ſcientia naturali conſumatus erit, ac perficiet opera miranda, nec non ſtupendos inueniet effectus. Bonũ ſimplex, vnicum eſt, & per ipſum, non ſolùm ſimilia, ſed etiam diſsimilia multa fiunt. Terra compoſita, elementum natura purum, ſimplex & vnicum, ſed quia compoſitum, neceſſariò fit multiplex, varium & impurum, reducibile tamen, per ignem, in aquam, & ab iſta, in ignem, & ab hoc in vnum ſimplex: & eſt numerus, & numeratur, & non eſt numerus, & non numeratur. Non numeratur, quia natura ſimplex, & accidente compoſitum.

positum. Ideo numerari non poteſt, quia ante ipſum non eſt numerus. Numeratur enim ab vnitate vnum, non abſolutum, ſed incluſum, & dicitur vnum excluſum: vnum incluſum. vnumque per vnum, ab vno, ſcilicet, ab anima mundi, fitq; ternarius. Eſſe cum Vno vult naturaliter, vnum per ſe potens, in vno impotens, in altero impotens, in ſphęra ſemper voluitur, in vnoquoque manet igne vnũ, ſed non ſic imaginatur. Super ignem purificatum, ad ſimplicitatẽ ſuam congrua lotione reducitur: omnia myſteria ſcientiæ profundæ operari poteſt. Terra de compoſito, elementum eſt, & non eſt elementum, per quod Ternarius in Binarium reducitur, quatuor ab vno gradibus diſtantem. Mira continet, varium & multiplex, corruptibile, tamẽ extra circulum Vnitatis non vagatur: huius cum Ternario, per Binarium in vno, ſecretorum omnium, eſt magiſterium. Et quæcumque humanitùs adinuenta, mirabiliter conſtant, eius poteſtati ſubiecta ſunt, ac poſſunt operatione perfecta fieri. Obſeruat numerũ, gradum, & ordinem, quibus omnis operatio mirabiliũ naturæ conſtat. Miranda ſunt quæ facere poteſt, & plura quàm creditur adimplere, quæ nec Deo iniuriam, nec maculam inferunt animæ: per ipſum operationes mirabiles fiunt: per ipſum humanarũ adinuentionũ plena cognitio poteſt acquiri, nec non

effectiua

effectiua quęuis operatio quibusuis in rebus obscuris. Quia virtus eius, intellectu procedens, non permittit operantem per tres gradus errare. Discernit omnia quæ homines dicunt, Seduci minimè potest in errorē, quæ per ipsum inchoata fuerit operatio. Quicquid Astronomi, quicquid Mathematici, quicquid Adepti philosophi, quicquid inuidi naturę persecutores Alchimistę, quicquid dęmonibus deteriores Necromantici promittunt, discernere nouit, intelligere, rectificare, inuenire, suisq; principijs aptata, sine malitia perficere, hoc ipsum elementum, non elementum, per numerum à se remotū, cum sibi coniuncto, in Vnitatem simpliciter reductum. Sine huius medij, finis, & principij cognitione, per numeros, gradus & ordiues, nec Adeptus philosophus, imaginibns virtutem daret sine crimine, vel absque scelere dare posset, nec Alchimista naturam imitari, neque hominum quispiam spiritus compellere, nec futura vates naturæ prædicere, nec vllus indagator curiosus, experimentorum habere noticiam. Omnis igitur operatio mirandorum, in limitibus naturæ consistens, ab vnitate per Binarium in Ternarium descendit: non priùs tamen, quàm à Ternario, per ordinem graduum, in simplicitatem consurgat. Nam si quatuor numerare velis, non aliter quàm ab vno scis inchoandum,

dum ad hunc nempe modum, vnum, duo, tria, quatuor, quæ ſimul ſumpta, decem cóſtituunt. Hæc omnis numeri perfecta conſummatio eſt, quia fit inde regreſſus ad vnum. Quandoquidem vltra denarium, non eſt numerus ſimplex, vti videtur, vnum, duo, tria, & quatuor, ſunt decem, & ſine regreſſu ad vnitatem, numerus vlteriùs non progreditur. Mirantur huius connexionis profunda neſcientes, quibus principijs in operatione mirandorum vtamur, falſò nos vel dęmonũ adiutorio, vel qualibet, contra ſanctiſsimam fidem noſtram Chriſtianam, ſuperſtitione inniti, opinantes. Nos autem hæc de nobis, iudicantes, propter eorũ quæ præmiſimus ignorantiam, non miramur. Quoniam, ſicut ſacra teſtatur Scriptura, de interna cognitione Dei, quam nemo intelligit, niſi qui accipit, nemo pariter his imbui vel vti poteſt, niſi diuino munere, lumen ſingulare accipiat intelligentiæ, ex natura in naturam, fueritque in eo cum lumine ignis, cum igne ventus, cũ vento poteſtas, cum poteſtate ſciẽtia, & cum ſcientia ſanæ mentis integritas. Notãdum vtique tria principia in Adepta philoſophia naturali abſtruſa, talia, vt ſine ipſis, & eorum noticia perfecta, nullum operatio conſequitur effectum. Primum principium, in Vno conſiſtit, non à quo, ſed per quod omnis mirandorum naturalium virtus producitur in

effe-

effectum De quo diximus, purũ ab vno procedens non componi, nec mutari. Ad ipsum à ternario & quaternario, fit ad monadem progressus, vt compleatur Denarius. Per ipsum enim est numeri regressus ad vnum, & simul descensus in quatuor, & ascensus in monadem. Impossibile est compleri Denarium, nisi per ipsum, quia Monas in triade læta conuertitur. Omnes hoc principium, post Monadis principium ignorantes, nil in ternario proficiunt, nec ad sacrum Quaternarium pertingunt. Nam etsi omnes Adeptę philosophię libros habeant, cursus syderum, virtutes, potestates, operationes, & proprietates perfectè cognoscant, ipsorumque imagines, annulos, sigilla, & secretissima quæq;, intelligant exactè, nullum tamen mirandorum consequi possunt, in suis operationibus effectum, sine huius principij ab initio cognitione, in principium. Vnde omnes quotquot vidi in Adepta philosophia naturali operantes, aut nihil consecutos, aut ad vana, friuola, & superstitiosa, post longam & inutilem operationẽ, in desperationem prolapsos fuisse. Principium verò secundum, ordine non, dignitate tamen separatum à primo, quod vnum existens, facit ternarium, est id quod operatur miranda per binarium: in vno est enim vnum, & non est vnum: est simplex, & in quaternario componitur, quo pu-

rificato per ignem, in ſole, aqua pura egreditur: & ipſum ad ſuam ſimplicitatem reuerſum, complementum operanti miniſtrabit occultorum. Hic eſt centrum Adeptæ philoſophiæ naturalis, cuius circunferentia ſibi vnita, circulum repræſentat: immenſus eſt ordo hic in infinitum. Virtus eius ſuper omnia purificata, & ſimplex, omnibus minor, quaternario ſuper gradum compoſita. Quaternarius autem pythagoricus numerus, ternario ſuffultus, ſi ordinem gradumq; obſeruat, purificatur: purus in Vno, ad binarium in ternario, miranda, & occulta naturæ, poteſt operari. Hic eſt Quaternarius, in cuius menſura, ternarius binario coniunctus in vno, cuncta facit, quæ mirabiliter facit. Ternarius enim numerus, ad Vnitatem reductus, per aſpectum, omnia in ſe continet, ac ea quę vult, poteſt. Principium tertium, per ſe non eſt principium, ſed in binario: inter ipſum & hunc, eſt finis omnis ſcientiæ, & artis myſticæ: infallibile medij Centrum: & in alio facilius non, quàm in ipſo cótingit errare. Paucíſsimi ſiquidē viuunt in terris, qui profunda huius intelligant arcani: varium eſt, compoſitum, & per ſeptenarium, in ternariū octies multiplicatum, conſurgens, manens fixum. In ipſo eſt conſummatio numeri, graduum, & ordinis, per quod omnes philoſophi, occultorum naturæ, Dei veri inquiſitores, mirabiles

rabiles effectus consecuti sunt: per ipsum, ad simplex elementum, in ternario reductum, subito fiunt curæ infirmorum valde miraculosæ, & naturaliter, omnium ægritudinum, opusque hoc, in Adepta philosophia naturali, & supernaturali, operantis, consequitur effectum. Fugiunt hinc dæmones, iuxta dispositionem quaternarij: prædictio futurorum, per ipsum verificatur: occultorumque insinuatio, non aliunde quàm per ipsum, à natura percipitur. Hoc vnico medico naturæ secretum aperitur alchimistis, sine quo, nec intellectus artis acquiritur, nec operationis effectus inuenitur. Errant crede mihi, errant omnes, qui sine tribus his principijs quicquam operari, in occultis naturæ scientijs, se posse confidunt. Maior autem causa sui erroris est, quòd sapientes olim, secretis imbuti naturæ, hæc, vel penitus subticuerũt, vel nimijs obscuritatibus inuoluerunt, vt non nisi à sibi similibus intelligi verè queant. Secreta est huius institutionis philosophia, atque cœlestis, in qua si quis intelligere ac scire veri quid optat, hominis tumultus fugiat, oportet. Mundũ deserat, cœlum non oculis tantùm, sed mente contempletur etiam. Spiritus Dei vbi vult spirat, quem vult illuminat, quemque suo numine obumbrarit, in omnem veritatis cognitionẽ inducet. Qui acceperit, gratias agat Domino

Deo, ſtudeat operis boni fructibus correſpõdere, ſeque à Deo recognoſcat accepiſſe, tũ demum nõ inueniet vnde ſuperbiat. Ille autem, cui ſcire ſublimia hæc donatum non fuerit, aut ſocordiam ſuam intellegat, quòd non laborarit, vt ſciret, aut miſericordiam Creatoris collaudet, quà in vtilitatẽ ſui voluit eum, impedimenta non cognoſcere: aut ſi non acquiſierit, Deum non extitiſſe ſibi debitorẽ donationis fateatur, & nõ ideo murmuret. Amicus es, amicum tibi præbentem conſilium audi, intelliges factum, & propinquorum victor, ignem inuidiæ, non aerem pedibus calca. Leuitas mortalium minatur periculum, ob odium conceptum aduerſum immortalem Deum. Fuge ſynodum omnium per hominem, non hominum, etiam cœleſtiũ. In nidulo hyrundinũ ſalus tua, periculum gallinarum. Velum à vento raptũ, ꝑ ſequeris, fatigaberis in ſeptenario, ſed per ternariũ in vnitate rurſum cõſurges, & fœlix eris, Si operationes tuas à ſole quæris, quem tibi natura videtur abſcondere, à cunctis ad verum ſolem, qui Deus eſt, per ſtudium cognitionis, purificata ab inferioribus mente, in deſiderio animæ, feruoreq; ſanctiſsimi amoris, te ſucceſsiue conuertas. Quia diuini amoris ars longa, tempus autem breue eſt: præſtat igitur Creatorem potiùs, quàm creaturã in veritate ſemper diligere. Sunt homini

in

in Adepta philoſophia, cùm ſtudere, tum operari cum vtilitate cupienti, neceſſaria quæ ſequuntur. Inprimis, vt à natura ſit ad artem hanc, non ſolùm inclinatus, ſed etiam diſpoſitus, vel ſaltem præceptoris magiſterio diſponibilis, per rectificationem, à ternario in vnitatē, per binarium diuiſum. Quod apertiùs explanare literis nequaquam valeo, ſermone verò poſſum, non etiam omnibus, at ſolùm ijs, quos intelligentia perluſtrauit. Secundo linguæ ſufficientem habere noticiam oportet, vt vulgaris non capiat, tantam maieſtatem ſcientiæ huius Adeptæ philoſophiæ naturalis. Sed & fundamētum inſtitutionis Aſtronomicæ, noſce valde neceſſarium, aut ſaltem pro voto, quemquam habere amicū qui ſciat. Tertiò, neceſſum eſt, librorum habere copiam, in hac ſcientia, idque emendatorum, quos reperire paucisſimos cōtingit, aut præ manibus adſit qui vitia poſsit eiuſmodi librorum emendare, non autem augere. Quartò præceptor in arte doctiſsimus, & expertiſsimus neceſſarius eſt. Quandoquidem, iſta ſcientia tantis eſt inuoluta myſterijs, vt ſine doctore pertiſsimo, nōn poſsit apprehendi: ni tamen Deus omnipotens, ſingulari dono gratiæ, mentem illuminare velit, quod rariſsimè fieri conſueuit. Quintò neceſſe eſt, vt vniuerſi totius diuiſionē ſciat, ſuperiorum & inferiorum, ab vno vſque in

quaternarium, in ternario quiescentem, ac noscat ordinem descensus, & ascensus, gradum, numerum, inflexum & reflexum, esse, & non esse, in vnum, & tria: & hoc scire difficillimũ est, quia omnis mirandorũ effectuũ radix, quocumque modo fiant, in Adepta philosophia, tam naturali, quàm supernaturali, huius principij fundamento innititur. Quocirca, omnis qui hunc ordinem apprehenderit, ipsum quoque modum intellexerit, perfectè consummatus erit, in omni sciẽtia profundę Adeptę philosophię, mirãdosq; suis in operationibus consequetur effectus. Sed quòd ista scire nimiùm difficile, paucissimi cũ fructu quopiã operantur, plurimi verò frustra labores suos impẽdũt in Adepta philosophia. Sextò, modũ viuendi conuenientem arti sciat, oportet, ordinemq; debitum operandi, temporis horam, opus & operis dominium, id est planetam, locum aptum, formam, materiam, & huius commixtionẽ, purum, & impurum, simplex, & compositũ, simile, diuersum, nexumque coniunctorum, præterea suæ ipsius animæ mensuram, virtutem, & bonitatem in potentia eundi. Septimò, vt sciat sub cuius planetæ dominio, spiritus horæ diei, ac temporis, quælibet res mundi sit, iuxta substantiam, accidẽs, & præsertim effectum, per quem operatur. Inferiora enim superioribus subiecta sunt, & sola si-

la similitudine, quæ substantia, accidente, potentia, virtute, numero, gradu, ac proprietate constat, per applicationem vnius ad aliud, modoq; in arte firmato, mirandorũ in Adepta philosophia naturali, fit vtilis operatio. Octauò, necessum est operantem in Adepta philosophia, præcise intelligere ac scire, omnem intelligentiarum proprietatem, ordinem, gradus, loca, siue locationes, nomina, verba, officia, & opera, qua ratione se ad extrema habeant, in ordine, & quomodo per ista sit operandum in qualibet vniuersali intentione: aut primùm necessaria scientia est, per quam certò perficiuntur, eo modo quo caro, ne putrescat, sale conseruatur. Nonò, in his quæ solus perficere non potest, socios habeat, aut natura dignos, vel institutione dignificatos: etenim sociorum indignitas, operationis effectum impedit in omnibus operationibus Adeptæ philosophiæ, tam naturalis, quam supernaturalis, &c. Decimò, oportet operãtem in Adepta philosophia, firmum esse confidentia, & de consecutione effectus nullatenus hæsitare: non tamen ob id quòd incredulitas aliquid in his conducat, sed quia hæsitatio, firmitatem, & constantiam animæ frangit operantis, ac debilem reddit, per medium in extremum, sine cuius virtute constante, stabiliq;, non fit, à superioribus influxus optatus. Vndecimò, volen-

tem in Adepta philoſophia naturali, cum aliquo fructu operari, vt omnia ſecretiſsimè conſeruet, nemini reuelet ſtatum operationis vtilem, aut non, neque ſuam voluntatem, non artem ipſam, neq; tempus, niſi preceptori ſuo vel diſcipulo. Quia ſcientia hęc publicũ fugit omne, & diuulgata, raro ſuos præbet effectus. Cùm finis ſcientiæ ſpeculatiuæ ſit veritas, & operis practicæ: tantum ſcimus in ea, quantum ex cognitione omnipotentis Dei concipimus, qui ſolus eſt veritas. Tantum etiam cognoſcimus, quantum diligimus. Scientia enim vera & ſalutaris, Dei parit cognitionem: Cognitio, amorem: Amor, frequentiam: Frequentia, familiaritatem: Familiaritas, fiduciam: Fiducia, quidẽ, omnium quæ poſtulaueris à Domino Ieſu, facilem impetrationem. Scientia quippe, virtutis cultum præcedit, quia nemo poteſt fideliter appetere quod ignorat. Cognitio veri, & amor recti, certiſsimum ad fœlicitatẽ parant introitum, Præcedit autem, ſicuti antea diximus, amorẽ cognitio, cùm nemo poſſit amare verè, quod prorſus ignorat. Propterea D. Ieſus Chriſtus in Euangelio patri dicit. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quidnam aliud eſt illa ſupercœleſtis beatorum ſpirituũ amænitatis fruitio, quàm diuinæ Maieſtatis cognitio & amor. Salutaris

taris

taris enim ſcientiæ cognitio, annexum ſibi habet amorem. Nó poteſt mens intellectualis, ſempiternæ friutionis habere conſortiũ, ſi aut cognitio fuerit ſine amore, aut amor ſine cognitione. Dęmones quidem cognoſcunt, ſed quia carent amore, ad fruitionem (quæ ex vtroque, & non ex altero ſolo naſcitur) minimè pertingunt. Amorem vnius ſummæ veritatis, philoſophi Gentiles, quidam, & extra Chriſtianiſmum poſiti, nónulli, adhuc habere hodie videntur, ſed quia non cognoſcunt Patrem vniuerſitatis, ſolum verum Deum, & quem miſit D. Ieſum Chriſtum, in ſuis cogitationibus euanuerunt, vt ad fruitionem ſummæ veritatis bonitatiſq; nequaquam peruenerint. Dicit enim D. noſter Seruator Ieſus, de his qui non cognoſcunt eum in hunc mundum veniſſe, per fidem in Euangelio: Qui non credit, iam iudicatus eſt. Vera enim cognitio ex fide eſt, & amor ex cognitione. Quicumq; ergo fidem nón habet, caret etiam cognitione: qui hanc non habet, nec amorem: & qui caret iſto, fruitioné habere haudquaquam poteſt. Hoc ipſum, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, aſcenſurus in Cœlum, ſuis diſcipulis reuelauit, inquiés: Euntes in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Hæc eſt ſcien-

tia vera, quæ ſcientem compunctione, & amore plurimùm afficit, non extollit, non ſuperbientes, quos impleuerit, ſed gemẽtes facit. iuxta illud Sapientis: Qui addit ſcientiá, addit & dolores, quòd in multa ſciẽtia, multa pariter inſit indignatio. Magna verò nobis puritate, & ſanctitate eſt opus, vt veræ ſapientiæ fructus, cum beatiſsimis apoſtolis Chriſti, in æterna fœlicitate valeamus obtinere. Deus noſter ſanctus eſt, nos autem peccatores & immundi. Cùm ergo, inter diſsimilia non fiat vnio, quomodo fiet inter Deũ & nos concordia? Audiamus Diuum Auguſtinum: Nullus inquit, ſanctus & iuſtus caret peccato, nec propterea ſinit eſſe iuſtus & ſanctus, cùm teneat affectu ſanctitatem. Dicit enim Scriptura: Septies in die cadit iuſtus, & reſurget, impij autem corruent in malum. Si cadit (inquit) Hieronimus, quomodo iuſtus, & ſi iuſtus, quomodo cadit? Sed iuſti vocabulo non priuatur, qui pœnitentia ductus tractuſq; ſemper ſurgit. Non ſolùm ſepties, at ſeptuageſies ſepties delinquenti, ſi conuertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. Nó ſaluabit eum gratia, cuius voluntas otioſa fuerit. Impoſsibile ſiquidem eſt non ſaluari bonam voluntatem. Etenim Dei donum eſt, quoniam nec velle bonum, neq; exequi, ſine gratia Dei nemo poteſt, qui ſeruare ſemper volentem, eſt paratiſsimus. Quemadmodum

dum ad solem conuersus lunæ globus, hic, illius splendore fit lucidus lumineque repletur, idq; magis, quò factus ex diametro cõspicuus magis, eo lustrior euadit. Si terræ corpus interueniat, eclipsim luna patitur, & tenebris obfuscatur oppleturque. Non aliter mens nostra, ad Deum per bonã volũtatem, & interni desiderium amoris conuersa, pulcherrimis, dulcisimisq́; gratiarũ illustrationibus perfunditur, & in sancto speculationis acumine mirificè corroboratur. Mox autem, vt peccati nubes intercesserit, lumen hoc etsi tamen indeficiens in se ipso, à subiecto nihilominus tenebroso absconditur. Præoccupatum nanque sæcularibus, siue carnalibus desiderijs animum, gratia Dei haudquaquam illustrat. Misceri quidem vana veris minimè possunt, æterna caducis, spiritualia carnalibus, ima summis, impura sanctisimis cœlestia terrestribus, vt pariter mens sapiat, quæ superius in cœlis, & quæ supra terram sunt. Vt mens vtique reformetur ab inuersa natura, Deum precemur, vt ipsa fiat vnum in amore, & cognitione vnius summi boni, Patris, & Filij, & spiritus sancti, gratiam assecuta principij, à quo, multitudine labitur, & vnitate ad ipsum reformatur: ternarium pro viribus ad vnitatem reducendo, mentemq́; sibi restituendo, quò purior intellectus ad metas principij iure propositas perueniat.

Verùm

Verùm enimuero, medium dispositionis habetur, quod & Dei donum est, hoc enim corporis obscuritates tolli possunt, ac impedimenta, quæ mentem remorantur, ne perueniat, quò desiderio trahitur, & ratio vera tẽdit: hoc etiam addere minime pigebit. Hermes Trismegistus, Adeptæ philosophiæ naturalis doctor, præ cunctis excellentissimus, ait. Verum sine mendacio, certum, & vnitatis cognatione verissimum. Quod est superius, est sicut id quod est inferius, & quod est inferius, est sicut id quod est superius, quia solis vnitatibus constat omnis numerus, ad perpetrãda miracula vnius rei multa. Nóne res omnes, ab vnitate fluunt, bonitate vnius? Diuersum nihil vnitati coniungi potest, sed simile, vt simplicitate vnius aptationeque fructum faciat. Quid ex vnitate nascitur aliud, quàm ipse ternarius. Vnarius est simplex, binarius compositus, & Ternarius, ad vnitatis simplicitatem reducibilis Pater eius est Sol, mater verò Luna. Portauit semen in vtero ventus. Terra nutrix. Pater omnis perfectionis totius mũdi, hic est. Virtus eius integra & immensa, si versum fuerit in terram. Separabis terram ab igne, spissum à subtili. Et ternarius iam sibi redditus, cum ingenio, & suauitate magna, à terra conscendit in cœlum. Et iterum virtute ac pulchritudine decoratus, reuertetur ad terram. Et sic recipit

vim

vim superiorem, & inferiorem. Eritque iam potens, & gloriosum in claritate vnitatis, omnem aptum producere numerũ, & fugiet omnis obscuritas. Hæc est vera præ cunctis alijs ars, & scientia, christiano homini maximè necessaria. Vniuersa enim studia mortalium, quæ nõ fuerint, ad charitatem directa, prorsus vana sunt, & omni viro christiano contemnenda. Curandum igitur nobis, vt mens nostra, propriæ salutis non immemor, nunquam studijs mundanis inhæreat, solùm vtatur in communem vsum ad necessitatem, non assiduè: tandem ad ea quæ per verum amorem in cognitionem Dei ducunt, redeũdum. Omnis ars quæ diuinæ scientiæ non cohæret, quantumcumq; celebris, non diutiùs permanet in homine, quàm vnà cum ratione vita. Quærenda est igitur scientia, quę post mortem etiam permanet: ea ipsa est, ex qua cæteræ omnes, etiam ad vsum præsentis vitæ necessariæ, suam originem & incrementum habere debent, & ad ipsam conformari. Videndum igitur, quo ordine, quo studio, quoque fine quodq; scire oporteat: Primo videlicet ordine ad salutem animæ: Secundo studio nempe, ad amorem diuinum: Tertio verò fine videlicet, ad gloriam Dei solam, & vtilitatem proximi. Non est vna & eadem, omnium ad scientiam & sapientiam properantium, intentio, nec finis vnus. Non-

nulli

nulli ſcire cupiunt, ad explendam curioſitatem: alij quidem ad quæſtum: alij ad ambitionem honorum, & dignitatum: quos omnes in reprobum ſenſum agi, & in varios errores neceſſum eſt. Quicumq; verò ſcire deſiderant, vt ſeſe necnonproximos in amore Chriſti ædificare valeant, ad finem charitatis exercendę ſuos labores dirigũt, quorum fructus, vbi vita doctrinæ correſponderit, æterna fœlicitas. Hos enim errare ſuis in operationib. eſt impoſsibile. Quapropter videant quotquot ad hæc ſtudia animum applicant, ne illotis accedant manibus & non purgata conſcientia, aliter & aerem verberare, & maximam ignominiam, diſpendium, & vitæ periculum incurrere continget. Qui vero hanc ſacratiſsimam philoſophiam adepti fuerint, ex Deo, caueant ne panem filiorum, canibus tradant, quod ſi faciant, indignationem Altiſsimi vindicis incurſuros ſe certo certius eſt quod credant. Videamus quid Libanius Io. Tritemio ſuo diſcipulo, hac de re ipſum admonens, ſcripſit. Silentio (inquit) anacriſim ſerua, & ante tempus noli columbam emittere, Pœnos linque mendaces, vt ſero intelligant quid bonũ, Caue Tritemi, ne ſolis radios cauernis inducas, quoniam pernicioſi draçones. Aerem ſublimiorem, non niſi ſemel abſcondas in terram. Bobus & capris nõ porrigas panem tuum, nec ſpiritum per ia-
tiuas

nuas minores emittas. Vnus esto tecũ, & caue ne solus, Omnẽ fugito multitudinẽ, quia vnum est omnia, & sine vno est nihil. Manu cæcum ne ducas sed baculo tantùm. Aquam vino non misceas, nec fit in mensa tua panis duplex. Aues in sole non nutrias, sed in vmbra. & canibus non ostendas vitrum, aut speculũ, quia periculosum est. Vmbram ne verberes, quoniam ad iniuriam fit solis. Formicis vtere, si auium captu forsitan delectaris. Lucem in aqua diuide, ne congelata stridescat. Cui discipulus respõdit, Bobus & capris fœnum substraxisse, magnumque sibi cum simijs bellum esse, verum victorem se tandem euasisse. Tantoque liberiorem viuere, quantò rebus mundi pauperior. Hæc sunt monita placitaq; filiorum Adeptæ philosophiæ, quibus inhibent, ne margaritæ seminentur ante porcos. Interim si quid abditorum arcanorũ habent, soli Deo, quicquid sit, hoc omne ferũt acceptũ, dignisq; filijs cõmunicant, quos hortantur amicè, vt memores sint non sibi, sed Deo, Deiq; filijs viuere, ac eidẽ gratias immortales agere, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, vni Deo, cui sit laus, honor, & gloria perennis.

Finis.

ANATOMIA CORPORVM ADHVC VIVENTIVM.

Qua docet Theophrastus Paracelsus *veræ Medicinæ Philosophiæque, Doctor excellentissimus, ante mortem ægris, esse consulendum, post quam sero Medicina paratur.*

Ad benignum lectorem.



St quòd scias amicè frater nõnullos esse homines, qui cũ ambitioni, tũ (quod fœdissimum est) quæstus gratia, Theophrastum Paracelsum, nostrum præceptorem priuare suis honoribus, atque laboribus non verentur, temerè sibi libros eius attribuentes, quos quouis modo, vel astutia corraserunt ab his, qui detinebant eos adhuc manu scriptos, & nondum in lucem editos. Verùm non considerant miseri, nullum vitium tam occultum esse, aut vnquam æquè astutè posse fieri, quin erumpat suo tempore. Putant ne, huius viri discipulos quandoque fucum eiusmodi cognituros, cùm, & phrasim, licet immutatam, etiam à sua prosa in versus, aut quomodocumq; laruatã, & modum tractandi, ac vocabula (quæ mutari nequeunt) & alia hoc in Autore notabilia facilimè detegant? Faciant ac moliantur quod possint, ex voto nunquam eis genus hoc malitiæ succedet, nec eos protegere poterit, quin tantam inde reportent ignominiam, quantã vanitatis suæ gloriam venati, quæsierunt. Satis sibi cognoscant ex eo contingere, si multas hac via corradant opes, Autori tamen relinquant honorem debitum, emittentes eius nomine, cuius etiã in du-

dustria ac diligentia comparata sunt. Admonitos igitur eiusmodi farinæ homines velimus, vt inposterum, ab hoc edendi studio abstineant, aut sanè qnod nollent audire cogentur, aut luculentiùs palam fieri hominibus: Si negent, extant eorum opera, quæ sua facta produn̄t, si conferantur cū eis, quæ hactenus edita sunt sub nomine proprij autoris. Videantur quæso, quæ de Anatomia duplici, videlicet, locali, & essata habentur à Paracelso, tandem iudicium fiat, cuius hæc sit corporum anatomia viuorum, sic de cæteris. Interim vale, & æqui bonique lector optime nostros labores, in tui gratiam libenter susceptos, consule.



Riusquam de viuorum corporũ Anatomia tractemus, instrumenta quæ ad hanc artem veniunt in vsum proponemus, vti sunt Mẽsuræ, bilanx, pondera, vasa, fornaces, & id genus alia quæque, suo loco ad oculum depicta.

De mensuris.

VAsculum quoddam stanneum, vel argenteũ, iustæ capacitatis, quod pharmacopolicæ mensuræ quartam partem contineat, habeatur. Vrina, quam capit omnino plenum, effusa in vasculum appensum bilanci, præcisè pendat vncias octo, idque tales vt in posterũ dicetur. At si patientis vrina paucior esset, quàm vt hanc mensuram impleret, aliud vas minoris capacitatis ac mediæ sit in promptu, pondúsque medium vrinæ, quatuor vnciarum, videlicet, examinetur.

Alia mensura lignea, lineari forma, plana, vel quadrata est opus, quæ in viginti quatuor partes æquales diuisa per lineas, integra tamen sextam partem longitudinis humani corporis optimè proportionati, metiatur. Ad hunc modum intelligendum, vt ea mensura lignea, sexies repetita altitudinem hominis efficiat. Considerandũ eam esse pedalem, & pollicum viginti quatuor, vt homo noster anatomicus, altitudinem pedum eiusmodi sex habeat, & pollices centum & quadra-

quadraginta quatuor. Notandum interea curiosis, quemlibet pollicem in minutias subdiuidi posse.

De bilance.


BRachia lancis fabrefieri debent, ex cupro vel argento, non ex ferro, propter æruginem, quam istud ex vrinæ corrosiua qualitate, facilius concipere posset, eàque ratione diminutis brachijs eiusmodi, bilanx inæqualis redderetur: vasa vtrinque appensa, vitrea sint, eo respectu, quē allegauimus. Suspendantur funiculis pilo contextis, vt minùs, cùm humorem imbibant, tum etiam, non æquè cito putrescant.

De ponderibus.

POndera sint cuprea, in formam eorum, quibus aurum & argentum lancibus committuntur. Triplicia sint, vtpote maxima, media, & minora. Pondera maxima conueniunt vrinæ Mercuriali ponderandæ: minima Salinæ: media vero Sulphureæ. Mediū hoc pondus, æquale sit illi, quod ad aurum venit in vsum: etenim homo comparandus auro, per sympathiā quandā, quā habet cū eo: quęquidem similitudo ex philosophia naturali debet intelligi. Drachma ponderis, ad sulphur nostrum physicum, 60. grana ponderis aurei, pendere debet. Drachma physici Mercurij nostri, 62. grana similia. Drachma

verò ſalis noſtri phyſici, tantùm 58. granâ paria. Fabricatis drchmis primorum naturaliū, cuique ſuis, facilè fuerit vncias etiam, cuiq; ſuas aſsignare, cuilibet vncię videlicet drachmas octo, ac tales quæ ſibi contingunt. Quo peracto, poſt quamlibet drachmam, alia minora pondera ſuccedunt, quorum vndecimū quodque, ſit 55. granorum, decimum 50. nonum 45. octauū 40. ſeptimum 35. ſeptum 30. quintum 15. quartum 8. tertium 4. ſecundū 2. primum vero 1. granum aurei ponderis.


Maſsulæ ponderum notentur, quælibet ſuo numero, quo cognoſci queant.



De vaſe deſtillatorio ad urinam.

PRo longitudine linearis menſuræ, vâs conflatum habeatur ex vitro albo, ve-

neto, claro, ac optimè transparente, cum simili galea sua rostrata. Sit eiusdem vasis altitudo mensuræ lineari prorsum æqualis, videlicet pollicum 24. & latitudo per diametrum quatuor pollicum, vt sit pro sexta longitudinis parte, latum: hac ratione vas nostrum ad proportionem humani corporis erit coaptatum. Intelligendum vtique nostrum homunculum spagiricum & anatomicum, vase nostro concludi, qui occultus in vrina sua, fit manifestus, anatomia nostra vera, nostróq; igne, qui nouaculæ vices nobis, & barbitonsoris chimistici, hoc loco perbellè supplet. Galea nostri vasis cum rostro suo, nobis præfigurat, caput, nasum, & collum anatomici nostri homunculi. Corpus vasis sub galea, corpus homunculi concludit, cui linearem mensuram applicamus, vt regiones viui corporis omnes, discernere possimus, & succuramus viuo corpori, si quidem quod mortuum est, non indiget vlla medicina.



De fornace anatomica.


NOn absimili ratione, nostræ fornacis proportio, correspondeat præcedenti-

bus, vt corporis eius altitudo ſit pollicum viginti quatuor intrinſecus. Partienda venit in tres concamerationes, quarum quælibet alta ſit pollicibus octo, lataque viginti quatuor, & fundum triplicẽ habeat, diuerſimode quemlibet perforatum. Infimus foramine dehiſcat, pro ſemidiametro, vt quartam areæ ſui fundi partem occupet. Medius perforetur ſex oribus æqualiter diſtantibus, vt inter vnum & alterum, interuallum ſit patulis foraminibus æquale, quorum diameter, quartam diametri, magni foraminis infimi fundi habebit. Ratione hac geometrica comperietur, ſex foramina ſuperiora, proportionem ad infimum habere ſuper ſeſquialterã. Vnde colligitur, ignem primi gradus, fore trium octauarum linearis menſuræ, correſpondentium nouem pollicibus eiuſdem: ſecundi gradus ignem futurum, quartarum trium, ac pollicum octodecim: tertij gradus ignis, erit viginti ſeptem pollicum: & quarti, ſex & tringinta, quæ ſimiliter proportionem habent ad duodecim pollices infimi diametri, ſupertriplam, & ad linearem menſuram, ſuper ſeſquialteram, non aliter quàm ſuperiora foramina ſunt ad infimum propatula. Aliam proportionem quære, quam voles ‘ vt æquatam ſuperiorum quatuor foraminum, ad inferius, cuius ſemidiameter, integrum diametrum vniuſcuiuſq; ſuperiorũ

effi-

efficiat: quo fiet vt apertis omnino superiori bus, eorum, & inferioris patentia sit ęqualis. Animaduertendum præterea, medium fundum eiusmodi fornacis, esse debere duplum, & supernum volubilem suo manubrio, quo superiora foramina gradatim aperiri, claudique valeant, pro quarta sui parte, media, tribus quartis, ac prorsum: eoq; regimine calor ignis augeri posit, vel minui quoties opus fuerit. Capella continens arenam, & in ea vas destillatorium, ex cupro fabricanda est, in formam martialis galeæ acuminatæ bellicæ, quæ super cuspidem sit volubilis, vnà cũ vase vitreo. Hoc artificio quidem, vt cuprea pariter mensura linearis, in 20. pollices æqua liter diuisa, figatur ab vna parte cooperculi cupellæ, cuprei similiter, & quæ superius incuruata galeam vasis erectam sustentet: ex altera parte, candelabrum cupreum etiam coperculo infixum esse debet, quo portetur vas receptorium, cum cupella volubile. Cæterũ turris lateralis carbonibus impleta, ac superius occlusa sit, quæ spiraculum habeat in fornace, per quod accensi carbones ignẽ excitent vt pro tua experientia, videbis expedire.





De urinarum receptione.

STatim atq; patiens vrinam emiſerit, vaſi vitreo vel lapideo concludatur optimè, ne re-

ne respiret: abstinendum à vasis, ex alia materia compactis, ne qualitatem externam, vrinæ concipiant. Postquam medicus receperit, vas admoueat igni, clausumque maneat, quo calorem eũdem accipiat, quem habuit, eo tempore, dũ emitteretur è vase naturali. Tandem conquassationibus perturbetur, & permisceatur suis fecibus. Quo facto quiescat, semper vase clauso, ne forte propter commotiones, subtiliores spiritus abeant. Postmodum aperiatur vas vbi sedata fuerit vrina, cumq; suis fecibus effundatur in vas stanneum ad summitatem, vt primum à pondere sumatur iudicium. Si contingat vrinam pręcisè vncias octo pendere, bonum omen fuerit, vtputa morbum esse valde curabilem, tanto melius, quantò propinquius ad pondus istud accesserit. Item quantò minùs pendet, asignato pondere, tantò magis ad sulphur morbum accedere iudicandum est: & quò plus pendet vncijs octo supra mentionatis, eò magis morbus mercurialis erit pronunciandus. Verùm vbi valde minùs vncijs octo pependerit, magisq; ad septem accesserit, infra potiùs, morbum ex sale prouenisse putandum, quia hoc cæteris duobus primis est leuius.

Si turbidam cõspicias vrinam ac spissam, certo iudicabitur, morbum radicem in sanguine fixisse, & in corpore, idq; tantò vehementius

mentius, quantò, magis hypoſtatica fuerit.
Si patiens maximis doloribus aggrauetur, nihilominus, vrina iuſtum pődus vnciarum octo preciſè habeat, indicium eſto morbum in ſanguine minimè ſitum eſſe, verum in neruis potius, muſculis, medullis, alijſque partibus corporis, iuxta ſigna quæ ſuccedent inter examinandum. Ab eodem indicio iam dicto, morbus ex ſale iudicari poteſt.

Abſolutis iudicijs à pődere ſumptis (quibus nő ita pertinaciter inſiſtẽdum, quin confirmetur opinio ſuccedentibus alijs indicijs: euacuanda eſt vrina in alteram ampullam ſtaticuli. Verùm priuſquam id fiat, ampullæ madefiant ambæ, vrina hac eadem quæ ſuperfuit, poſt repletionem menſuræ, vt iuſtũ ſeruetur pondus, vbi ex ampulla, in vas deſtillatorium effundetur, nam ſemper adhæret liquor ſpondilibus & concauitati vaſorum euacuatorum. Per infundibilũ vitreum oblongum ad fundum cucurbitæ ferè pertingens, infundatur, quoquidem euitetur, ne ſpondilia vaſis, altiùs madefiant, quam altitudo liquoris & vrinę aſſurgat in dicto vaſe. Quo facto mox ſuperponatur galea, commiſsuræque lutentur optimè ne reſpirent, roſtrum eius obturetur epiſtomiolo quo piam ligneo. Ponatur vitrum hoc deſtillatorium, ad hunc modum præparatum, in foratum lignum præciſè in eum vſum excauatũ

vt aliquantisper in eo consistens, quiescat, perpendiculari situ, ne aliqua ex parte propẽdeat. Interea notanda signa quęlibet apparẽtia, dum subsidunt feces, vtrũ citiùs, vel tardiùs, aut prorsus nõ ponantur. Inde siquidẽ, iudicium fieri potest, animaduersione sedula, de sexu, & ætate patientũ. Sal enim in mulieribus densius est, quàm in viris, sic de reliquis duobus primis.

Quod ætatem concernit hoc loco, notandum, vrinas puerorũ à tribus annis, ad iuuentutem vsque, scilicet, annos circiter quatuor & viginti, spiritus habere debiles, qui langui dè satis assurgunt, vnde citiùs euanescunt alijs, qui prouectioris sunt ætatis. Vrinæ autẽ ab annis vigintiquatuor in tringinta, robustiorum spirituum existunt, vt qui viuaciùs ascendant prioribus, attamen tardiusculè.

Quæ sunt annorum quadraginta, quinquaginta, vel sexaginta, robustissimis pollẽt spiritibus, qui facillimè pre cæteris attollun tur in altum.

De coloribus.

Iuniores personæ, suas vrinas ædunt spissiores, in modum seri lactis è caseis effluentis, malè digestas & imperfectas.

Ætatis mediæ, suas habent admodum tenues, flauas, optimè digestas, & colore pulcherrimo tinctas.

Qui

Qui verò ſunt prouectionis ætatis, vrinas emittunt albicantes, ſubtiles, tranſparentes, ac mediocris digeſtionis.

De humoribus inter deſtillandum aſcendentibus.

VItreum vas continens vrinam, collocetur in cupellam cupream arena repletam, in ſummitate furni ſitam, & mergatur ſub arena tribus vigeſimis quartis partibus linearis menſurę, vel pollicibus tribus, vt viginti & vno ſupereminéat. Priuſquam accendatur ignis in laterali fornace, folium papyri magnum, quód iuxta longitudinem in vigintiquatuor partes æquales, & per latitudinem in quatuor tantùm complicatũ ſit habeatur. À dextro latere papyri, notanda ſunt omnia, quæ ad vaſis dextram apparent indicia: à ſiniſtro pariter quæ ad ſiniſtram patefient. Spatijs verò papyri medijs inter ſiniſtram & dextram, ea quæ videbuntur à facie vaſis, & à tergo, vt ſpatio dextræ proximiori, notanda quæ vaſis anteriori parte manifeſta ſunt, & altero ſpatio medio, quæ poſteriori. Notandum vtiq; roſtrum galeæ, facie ad faciem opponi debere, verſum ad examinatorem, eamque partem anteriorem habendam in vaſe, corporiſque examinati partem eandem referre.

Cauendum etiam ne per ignem calor ex-

citetur vaſi, maior eo qui ſolet eſſe quum vrina per patientem, è vaſe naturali plærunque ſolet emitti, contineatur in eo calore continuo trium horarum ſpatio. Non eſt eximendum epiſtomium à roſtro galeæ, donec tempus hoc præterlapſum fuerit. Si verò priuſquam tempus hoc ſit abſolutum, guttulæ deſcendant per galeę roſtrum, indicium eſto nimij caloris: etenim tantillo temporis proprietates corporis demonſtrari nequeunt, pauca hac alteratione, minùs apparere poſſunt indicia, de quibus iudicium ferri poſit. Senſim prouocandæ ſunt vrinæ, proportionato, & gradatim aucto caloris & ignis regimine, quo fit vt morborum inditia vera, ſuis locis appareanr, indeq; certius iudicium fiat eorum.

Regulæ quædam generaliores in urinarium iudiciis.

ANimaduerſione ſedula, conſiderandæ ſunt notæ pollicares, in menſura lineari cuprea iuxta vas erecta, quæ hoc ſuſtinet erectum, delineatæ. Menſura dicta, figitur in coperculum cupreæ cupellæ, pariter & candelabrum ſuſtinens vas receptorium: in viginti pollices dũtaxat, repartiri debet, quòd quatuor pollicibus ſub coperculo, vas deſtillatorium ſit merſum.

Humoribus aut vaporibus, à regione cordis, ad

dis, ad anteriorem thoracis partem aſſurgentibus, indicium eſto morbum ex nimio gaudio proueniſſe, quo citiùs in ægritudinem, periculoſiorem inciditur, quàm aliquo mærore, ſi læticia modum excedat.

Si verò ab eodẽ loco ſurrexerint in partẽ poſteriorem, vt ad ſpinam dorſi, morbũ ex aduerſo mærore productum eſſe iudicetur.

Ab eo ipſo loco, ſi aſſurgant ad ſupremam thoracis partem, ab iracundia (quam choleram vocant) ortum habere dicito: at è contrà ſi verſus inferiorem partem, cauſam fuiſſe horrorem, atq; pauorem iudicari poterit: cęterùm vbi ab eo loco, ad latera perrexerint, pudicitiæ cauſam profer. Hoc ipſum de ſymtomatis aut accidentib. vti de morbis ipſis.

Si terrea ſubſtantia pręcedat humorem in aſcenſu (quod præter conſuetum exiſtit) indicium eſt morbi tartareij: ab albo tartarò morbum caducum indicabit, maximè ſi dicta ſubſtantia terrea, mox poſt aeream (quæ pręcedere debet) aſcendat, quod quidem denotaret malitioſos eiuſmodi vapores, primò ab inferioribus corporis partibus, ad cor aſcendiſſe, tandem ad caput, & cholericos affectus & effectus excitaſſe, vnà cum tremoribus, & circa vmbelicum conuulſionibus, cordis compreſsionibus, indeque morbum epilepticum.

Quum humor in prima deſtillatione, mix-

tus erit varijs ac diuersis coloribus, vt cerulleo, flauo, viridi, &c. indicium est infectionis matricis à spermate, præsertim vbi hoc ipsum apparuerit in vasis medio, vel circa regionem pudendorum.

Secunda destillatione si vapores ascenderint multifariam colorati, vsq; ad caput alẽbici, quò vt peruenerint retrocedant, absque resolutione in liquorem, imò potiùs magis, ac magis in vapores crassos densabuntur, indicium erit conditionis terreæ, quæ putrefactionem molitur pororum, & meatuum aereorum hæpatis, pulmonis, & cordis. Si tamen calore superati, nihilominus in tartarũ conuertantur, indicium est calculi sumentis originem, & occasionem adhærendi renibus, non aliter quàm tartarum ad latera vasis A coloribus tenuioribus permixtis eiusmodi vaporibus, denotatur infectio cerebri, memoriæ, nobiliorumque partium capitis, vnà cum debilitatione rationis, animaliumque facultatum. Vnde potest iudicari, periculũ imminere cardiace, apoplexiæ, stuporis, & conuulsionis membrorum.

Tertia destillatione, si post ascensum vaporum omnium, ipsa materia residens in fundo cucurbitæ, formam concipiat, concreti sanguinis & spongiosi, hoc ipso designatur morbum aliquem ex menstruorũ retentione prouenisse.

Si vapores aliqui ſubuirides appareant, qui poſtmodum nigreſcant, & inde poſt plũbi liuorem concipiant, per diſparitionem tenuium ſpirituum vrinæ, tum ob fœtorem, præſagium aliquod mortis præſumendũ eſt.

Quum nubes in galea, repulſæ quodammodo coguntur retrocedere, deſcendereq́; in vas deſtillatorium, apoplexiã indicant, idq́ue potiſsimùm, vbi ſæpiùs idipſum eueniet. Si vapores à medio vaſis videantur aſcẽdere in galeam, quæ viſcoſæ corruptęq́; ſint, indicium eſto, præ mala ſtomachi digeſtione, vapores crudos ad caput aſcendere, vbi cumulati, ſpiritus aggrauant intellectus, memoriæ, & auditus, Vnde ſuffuſio naſcitur oculorum.

Poſt liquoris omnis receptionem, ſub initium ignis ſecũdi gradus, ſi aer pro ſolito ſuo more naturali nolit aſcendere, peſsimum eſſe iudicium putato. Item ſi præcedat aerem, ignis in aſcenſu, qui ſe recipiat in galeam. forma veſicularum tranſparẽtium vt vitrum, deinceps obſcuriores ac denſiores factæ, rũpantur, & inde color appareat obſcuri lactis, varijs coloribus alijs permixtus, vt azurino, flauo, viridiq́ue radientibus, indicium eſt aſſumpti veneni per os, quod aconitæ naturæ fuerit.

Si nubes ad ſiniſtrum latus vaſis appareat in medio, matricis paſsionem ſignificabit.

Separando primum liquorem, ſi videatur à ſiniſtro latere vaſsis, materia viſcoſa, cũ vaporibus craſis, & obſcuris, capitis maximus dolor deſignatur, & fluxiones, non ſine periculo paralyſis, aut hoemiplexiæ futuræ.

Vrina, ob cruditatem & malam digeſtionẽ, ſi colore liuido plumbeoque tincta, nolit per deſtillationem niſi difficulter, aſcendere, nec altiùs quàm ad nonum pollicem, vbi numerus decimus quintus notatur in lineari menſura, paulò plùs quàm ad vaſis tertiam partem, ibidem collecta, ſi denſabitur vapor humoris eiuſmodi, & ad fundum vaſis deorſum ceciderit, indicium eſt periculoſiſsimũ, & intercutanei morbi cuiuſpiam, vel tartarei. At ſi fortè cum ſignis præcedentibus, appareat in galea nubes nigra, & impura ad ſiniſtrum latus, varijs permixta coloribus, indicium eſto maximi doloris in capite, vertiginis, tinnitus aurium atque tumultuationis. Verùm ſi hoc ſignum ſtatim poſt apparitionem euaneſcat, materiaq; per ſe clareſcat, indicium apoplexiæ futuræ, pulmonis exulcerationis, & phryſis eſſe dicito.

Si vapores ignei, qui tertia primùm deſtillatione debent aſcendere, ſecunda conſurgant, ſtatim poſt primum liquorem, ſiccitatis, & caloris hæpatis eſt indicium, atque tartari nati in medullis ſpinæ dorſi, pro quantitate granorum milij, & qui poſſunt incremẽtum

tum

tum ſumere, ad formam lentis: vnde podagra generari poteſt: vrinæ primo liquore, deſtillandum inter ad rubedinem tendente, varijs atque mirandis Coloribus concurrentibus, indicium eſt inflammationis hæpatis maximę, tum ſcabiei leproſæ in pelle, item rubeam leprã eſſe præ foribus: Verùm ſi mox ab aſcenſu primi liquoris, quem phlegma dicunt, aſcendant igne i vapores, ante vapores aeris, & in galeam ſe recipiant, inflammationis hæpatis eſt indicium, & peſsimi caloris in eo, per quem pars maxima ſanguinis aduritur: item pruritus intolerabilis ad brachia, coxendices, &c.

In examine fecum, ſi calx rubea prodeat, indicium eſt calculi, in ſpina dorſi maximũ dolorem efficientis.

Ignis gradus primus, & indicia liquoris Mercurij.

QVum vrinæ ſudor aliquo vaſis loco, in forma guttarum adhæret, certiſsimum præbet indicium, eodem corporis patientis loco, humiditatis ſuperfluæ, dolorem excitantis, eq́ue maiorem, quò maiores guttæ fuerint, item à minoribus, dolores minores iudicandi ſunt.

Si guttæ maneant eiuſdem quantitatis, abſque variatione, indicium eſto morbum eſſe fixum eo corporis loco, qui deſignatus

in vaſe, ſiue in ſanguine, carne, venis aut neruis, oſsibus, cerebro, corde, hepate, pulmone, felle, renibus, ſtomacho, inteſtinis, veſica, &c.

Si contingat eiuſmodi guttas repentè creſcere, iudicium fieri poteſt, & morbum pariter ſumpturum incrementum.

Si verò diminutæ ſint, paulatimque deficiant, indicium eſto, morbum vtique pauco vel nullo negotio curabilem, idque balſamo naturali vincente malum, per inſtaurationem, & renouationem.

Si poſtquam eiuſmodi guttę diſparuerint, veſtigia relinquant in vaſe, iudicari poteſt morbus ad mortem, præſertim ſi maculæ mumiæ, tartari, vel marcaſitæ formam habeãt. Etenim oppilationum, corruptionum, & congelationum ſunt notæ, quod poſtmodum latiùs declarabitur. Iſtis occurrentibus malis, prouidendum arcanis, & medicamẽtis optimis, quæ nedum expellant morbos, verum etiam adiacentibus locis minimè noceant, qualia ſunt ipſa deopilatiua penetratiua, aperitiua, item contra corruptiones innouatiua, cõgelationũ reſolutiua, & expulſiua, ſingula ſpagirico modo repurgatiſsima.

Sulphuris uaporum indicia.

Liquorum, aut vaporum adhærentiæ, nedum in vaſe notandæ ſunt, verum etiam

etiam loca vnde ſurrexerunt, originemque ſumpſerunt, item eleuationes, deſcenſus & per latera vaſis defluxiones diligentiſsimè conſideranda quæque. Inde ſiquidem, ortus, & primę cauſę morborum cognoſci poſſunt, ac diiudicari. Nam adhęrentia in vitro facta, locum dumtaxat indicat in humano corpore, in quo morbus ſedem & centrum poſuit. Diſparitio per reſolutionem, locum ad quē ſedem poſiturus, tendit morbus. Locus in vitro, vnde vapores aſſurgunt, locum in corpore deſignat, à quo morbus originē duxit.

Defluxiones ignis primo proceſſu, locum indicant, ad quem morbi priùs aliqua parte poſiti, poſtmodum ſunt deſcenſuri.

Diſparitio macularum poſt adhærentiā, guttarum, ignis proceſſu primo, veneni prębet indiciū, & mortis patientis, non ita ſubitaneæ tamen, ſed ſucceſſu temporis aduenturæ.

Singula diligentiſsimè notanda veniunt in papyro dicta.

Salium indicia.

VApores adhærentes vaſis ſpondilibus, in ignis primo gradu, etſi cōgelentur in formā ſalinæ materiæ ſimilem, non ſunt vera ſalia, ſed eorum apparentiam quandam habent, ac ſimilitudinem tantùm: plerumq; reſoluuntur ignis calore, quòd ſubſtantiæ

volatilis existant, proprietatisque mercuria lis, euanescunt. Vnde Chiaticas pronunciát, Podagras, Chiragras, vtrumque calculum, renum & vesicæ videlicet, morbillos, membrorũ conuulsionem, ac tartareos morbos. Quæ iudicia tamen, subsequentibus alijs indicijs confirmari debent. Hæc sunt potissima primi processus indicia, per ignis gradũ primum apparentia, priusquàm destillatio guttarum, fluxusque fiat earum in vas recipiens.

Ignis secundus gradus.

PRæterlapsis tribus primis horis primi gradus ignis, epistomiolum è rostro galeæ fuerit eximendum, mox inde vas receptorium apponendum, commisura luto munitissima, successiuo progressu gradus ignis inchoandus est, vt & sensim guttæ in galea collectæ, cum spiribus inuisibilibus condensatæ, præter exhalationẽ, in vas submissum descendant. Calor hic ad hunc modum regendus, vt inter guttas singulas, interuallum temporis sit, vt ab vno (progressu moderato, non nimium accelerato, nec etiam tardiori) numerari possit vsque ad denarium. Tantisper ignis huiusmodi continuandus, vsque dum guttulæ decidentes albescunt. Verùm si guttæ prædictum interuallum non obseruant, ignis augendus, vel minuẽdus artificio fundi versatilis, dum ad iustam caloris dicti

proportionem redierit. Vbi color guttarum albus immutatus fuerit in citrinum, indiciũ dabitur liquores primos, & inualidos omnes ab vrina separatos, ascendisse, ac solùm tenuiores vapores terræ permixtos in cucurbita restitisse. Quo percepto recipiẽs amoueatur, admoto alio sicco, nulloque humore madido, solùm pluma, repurgato, in quo receptorio totus vapor est excipiẽdus, vt in fũdo cucurbitæ nil præter fæces aridissimas relinquatur: hoc ipsum facilè percipi poterit, q cucurbita nõ vsque adeo mergitur sub arena. Quicquid apparuit à prima recipientis amotione, vsq; ad secundã, accuratiùs in papyro notãdum, quòd in eo prima & præcipua hoc in opere, lateãt artis huius indicia. Tandem liquores ambo qui recepti sunt, librentur separatim, & vtriusq; pondus alijs indicijs annotetur. Etenim pondere facilimum est iudicatu, quod primorum in vrina, corporeq; patientis, præcipuum dominium habet. Exempli gratia: ponamus crudã vrinã pẽdere vncias octo, cum granis quindecim: Item humorem primæ destillationis, vncias quinq; ducenta & quinquaginta grana: secundæ verò destillationis ex vapore, vnciam vnam cũ ducentis quinquaginta granis, quæ simul aggregata numerant vncias septẽ, & grana decem, hæc ab vncijs octo, & granis quindecim detracta, vnciam tantùm vnã & grana quin-

que,

que, fecibus in fundo cucurbitæ relinquunt. Concluditur inde patientem esse cùm naturæ, tum proprietatis Mercurij, cùm liquoris primi pondus, in prima destillatione sit, vnciarum quinq; ducentorum & quinquaginta granorum. Verùm, destillationis secundæ vapor ponderis vnius vnciæ, ducentorum & quinquaginta granorum, pondus fecum superat, vnius videlicet vnciæ cum granis quinque. Pariter ambo posteriora pondera sulphuris & salis, simul efficientia duas vncias & ducenta quinquaginta quinq; grana, superantur, à primo pondere mercuriali, duabus vncijs & quingentis quadraginta quinque granis. Primæ destillationes omnes guttas emittentes mercurio tribuuntur: quæ secundò fiunt, sulphuri: feces verò sali. Verùm primæ omnium animaduersiones, ante guttarum stillationem, parui admodum pendũtur. quòd suas conditiones varient pro ciborum ac potus varietate.

Ignis gradus tertius, pro Sulphure.

POstquam de radicali humore, per destillationem egimus, ad spiraculum vitæ veniendum est nobis, in quo situs est calor naturalis, motus, conseruatio, & sustentatio, videlicet in sulphure. Quum igitur color guttarum citrinus, in spissiorem, & rubicundiorem transmutari videbitur, mutandum est, &

eſt, & amouendum ſecundum vas recipiens, admoto tertio. Hac in operatione ſumma cum induſtria, notandæ ſunt adhærentiæ, tam vaporum, quàm fumorum, materiarum oleoſarum ac ſalinarum: primò, loca vnde aſſurgunt, & originem ducunt: ſecundò quibus adhærebunt, ac interea per quæ loca trãſitum facient aſcendendo, idq; inter earum ortum & finem, aut ſitum: tertio cuius conditionis, ſtatus, adhærentiæ, ac formæ ſint futura, vtrum augeantur, minuantur aut euaneſcant. At quia ſulphur (de quo hoc loco fit mentio) dominium in ſanguine præſertim habet, ratio poſtulat ſanguinis obſeruari diſtinctionem, iuxta perſonarum diuerſitatẽ, cùm ætatis tum qualitatis. In pueris tenuis habetur ſanguis, acutus, & aquea ſubſtantia plenus.

In adultioribus, vt annorum triginta, purus eſt, mundus, ſubtilis, & calidus. In ſenioribus verò paucus, ſpiſſus, & craſſus.

In obeſis, etiam paucus, grauis, frigidus, ac tenuis.

In macris, è contra multus, calidus & læuis.

In viris autem longè tenuior, & calidior, quàm in mulieribus, in quibus eſt ſpiſſus, craſſus & frigidus.

Sanguis omnis abundans, & craſſus, hominibus præbet vires, audaciam, & robur.

Con

Contrà, ſubtilior timiditatem exhibet, pauorem, atq; ſtupiditatem.

Habet etiam in vnoquoq; membro, particulares quaſdam cōditiones, vt in venis pulſatilibus, admodum ſubtilem, in pulmone puram, in corde calidam, in venis communioribus ſpiſſam, in hæpate mixtam, in ſplene verò frigidam. Notandum, ſi virtutes, & facultates eius impediantur opilationibus, vel reſolutionibus, in quouis animalium genere, vita pariter eorū hoc ipſo diminuitur, & præſertim in hominibus, in quibus nedū animę domiciliū, verum etiam fomētum ſpiritus eorum eſt, & omnium partium ſui corporis maxima refocillatio: verùm in brutis irrationalibus, carnis omnis eſt nutrimentum. Iam demum ad ignem huius tertij gradus, veniendum eſt, per foraminum apertionem, ad eorum patentiæ tres quartas, fundo verſatili promoto. Hoc ipſo calore ſenſim aucto, ſpiritus exurgent, & oleoſæ ſubſtantiæ quædam craſsiores, ac ſulphureæ, quæquidem trifariam reſoluentur. Primò, in vētoſitates aereas, inuiſibiles, & imperceptibiles: Secūdò, in modum vaporum viſibilium diſcretèque perceptibilium, & ſub finem in forma nubium: Tertiò verò ſubſtantialiter, & eſſentialiter in forma quadam olei, item corporaliter in forma ſalis, & ſenſualiter in forma tartari, tangibiliter, ac viſibiliter adhærentis.

hærentis. Notandum hoc loco, neđum in duabus primis deſtillationibus, verũ etiam, in iſta tertij gradus, primos vapores aſcendentes, vocari flatus, aut ventos: item ſubſequentes dici fumos, aut fumoſitates: & tertiò ſurgentes appellari nubes, vel pruinas. Primò igitur, in hac tertia deſtillatione aſcendunt flatus inuiſibiles: ſecundò fumi viſibiles, qui præfigurant nobis ſubtiliſsimã ſubſtantiam radicalis humoris, & ſunt naturæ mercurialis aquæ, & animalis, quorum flatuum initium, medium ac finis accuratiſsimè veniũt annotãda, & locus vbi ſurgere cœperit oleoſus ille fumus ſulphureus, & ſpiritualis naturæ. Poſtremò verò nubes aſſurgũt ex terreſtri materia, quæ ſalinæ ſubſtantiæ ſunt, & corporeæ naturæ. Non aliter enim quàm ſcitur elementum aeris, terram ſubintrare, ac penetrare, per poros & cauernas, ibidem reſolutus in aquam, ſemper inferiora defluendo petit, in humano corpore pariter, vapores à ſtomacho ſurgentes, penetrant in regionem capitis, ibi tandẽ reſoluti per congelationem, defluunt ad inferiora corporis membra, quæ miſerè quandoque torquent.

Salium incidia.

NOnnulla ſimilitudinem habent roris maij, quædam alia grandinis aut niuis glaciei, tartari, alebaſtri, lapidis, cretæ, &c.

Si

Si colorem accipiant, ocræ ſimilem habent, argillæ, pulueris laterum, boli armeni, vel communis, rubricæ lapidis, viridis montani, indici, lazurei, & ſimiliũ. Quod formam conernit, aliqua ſalis, grana referunt, lapidum craſsiuſculorum ſalis armeniaci, ſalis petræ granorum oblongorum: nonnulla per ignem liqueſcunt, alia ſunt fixa, & incombuſtibilia, alia in modum aluminis rupei, vel plumoſi, aut albi vitrioli. Multa ſuam naturam in igne retinent, vt ſal gemmæ, alia in aquam proiecta non reſoluuntur, nec in humido loco ſita (niſi hoc fiat aqua peculariter ad eum vſum præparata) vt camphora. Quædam reſoluuntur quouis humido loco, vt ſal marinum, ſal abſynthij, vitrioli, montanum, &c. alia per ignem liquata, reducuntur in maſſam, & acuitatem ſuam naturalem non retinent, imò redduntur acuta magis, & corroſiuiora, vt ſunt hallenſia Germanica, hiſpanica & burgundica.

Separatis igitur à fecibus terreſtribus, cũ ctis humentibus, igne tertij gradus, hic iterũ augendus erit, apertis omnino foraminibus. Hinc fit vt aſſurgant ſubſtantiæ craſſæ quædam, & vario modo coloratæ, iuxta morborum conditiones (quod quidem in omnibus examinibus non ſemper accidit) quandoq; in rubeum colorem, & alios admodum pulchros, atq; delectabiles, vti flauos, iacinthinos,

nos,purpureos,ameriſtinos,azureos,turcoiſios,&c. aliæ permixtæ ſunt flauo,viridi,rubeo citrino ſimul,albo lazureoq́;:ſunt & aliȩ nigræ plurimùm ; & cinerum inſtar aduſtæ. Nonnullæ carent odore,aliæ fœtidȩ vt nauſeam prouocent, aliquȩ fragrantiſsimȩ ſunt: hæc annotanda quæquæ,vnà cum adhærentijs & locis, coloribus alijſq́; ſimilibus indicijs. Quo peracto,ſi videbitur nihil ampliùs apparere, claudenda ſunt omnia fundi duplicati foramina,quo frigeſcat fornax,id plærumq; fieri ſolet horarum ſpatio trium. Vas deſtillatorium frigidum eximatur.

Salium iudicium alterum.

FEces à vaſe frigefacto iam,eximēdȩ ſunt, maxima tamen induſtria, ne quicquam earum depereat,ponderandæq́; præciſè, notato pondere ſeorſim. Hoc loco rurſus operatorem,vel examinatorem decet, patientis ſcrutari conditiones & proprietates, vtrum etiam ex mercurio,ſulphure,vel ſale morbus originem duxerit. Si verò morbus comperiatur ex ſale,cum natura patientis, eiuſmodi feces, ponderibus ſalinis librandæ, ſi autem ex mercurio, vel ſulphure, quodq; proprijs. Notatis vtique ponderibus,iſtiuſmodi feces, in ferrea patina, vel cuprea mundiſsima,prunis expoſitȩ,ſenſim in exhalationem exiccentur,indéque adurantur,notatis inte-

rea ſingulis quæ apparebunt, ſiue flammæ ſint, tumores, flatus, ſibilationes, &c. quanto tempore cremabuntur, coloribus, fumis, & qualitatibus flammarũ ab hac vrente materia productarum. Verùmenimuero, quia citiſsimè fit aduſtio hæc, flammaq; repentè perit, induſtria, vigilantiaque maximis opus eſt inter annotandum. Materia ſonitum edens in igne, mercurio fuerit adiudicanda. Quæ verò tumultus atque magnos rumores excitabit, ſali tribuenda. Flamma quæ fulgurationes emittere videbitur, cum aliqua reſonantia tamquam reflexionis Echo, ſulphur denotat. Exuſta prorſus materia, tandem eximatur tota, vt eius nihil pereat, & in vrinali vitreo poſita, perfundatur aqua communi limpida, maneatq; per horam accuratiſsimè cooperta. Poſtmodũ effundatur eiuſdem aquæ, trigecuplum, ponderis vſtæ priùs materię, ac per aliam horam quieſcant ſimul humido loco. Tandem coletur aqua per pãnum, in aliud vitrum, & eiuſmodi colatura, ſinatur igne lento per euaporationem euaneſcere. Quod congelatum erit in fundo, ſeruetur. Verùm, id quod reliquum eſt ex fecibus à colatura manens in panno, ſiccetur igne lento, ac ponderetur ſalis ponderibus. Inde cognoſci poteſt quãto per ablutionem defecerit, hiſq; ponderibus vnà cum præcedentibus iudicari, cuius conditionis inter

prima

prima principia, morbus & patiens extiterint. Cæterùm an vltimæ feces eiusmodi, quid ex Mumia contineãt, quam vt sulphur existimamus: aut ex tartaro, quod loco salis habetur: vel ex limo, qui mercurij rationem obtinet, facilè diiudicatur: hoc omne p adustionem, idq; tribus indicijs. Primo, sulphur exhibet cœruleam flammam: mercurius fumum obscurum: tartarũ verò, vel sal ipsum, nihil horum exhibet. Secundo, tartarum fixum & graue manet: Mumia rubens est, ac leuis: limus autem, vel mercurius est flauus, adurens, & non fixus. Tertio quidem indicio, sub vltimam adustionem, odor mercurij dulcis: Limi odor est acrior & mineralis: tartarum autem odorem nullum, neq; gustum habet, qui aliquatenus percipi queant. Itidem ex materia dissoluta per ablutionẽ antèa dictam à fecibus, fieri potest, vt suprà, põderando prius, & postmodum adurendo, præter excandescentiam, deinceps vbi frigefacta fuerit, rursus ponderando, quod minùs erit, hoc ipsum fuisse mercurium in ea iudicandum est. Postremum eius examen hoc esto, scilicet, vt secundò iam aduratur igne vehementiori quàm antea, si quid ponderi post frigefactam materiam deficiat, id ipsum iudicetur sulphur extitisse: quòd reliquum erit ab adustionibus, est sal eiusdem vrinæ. Singula notentur accuratiùs, & inscribantur

papyro cum cæteris, vt ſunt odores, flammę, fumi, colores, &c.

Colorum indicia.

Quo meliùs de coloribus in hac arte iudicetur, precioſorum lapidum primis tribus principijs naturalibus, iuxta ſuam naturam diſtributorum, colores mutuandi ſunt.

Sulphureorum lapidum precioſorum à coloribus, in urinarum examine ſumpta iudicia.

CItrini lapidis color, facultatum nutritiuarum, & expulſiuarum defectum indicat, in vrinarum examinibus.

Topaſij color, apoſtemationé in renibus.

Chryſoliti color, annorum augmentum.

Smaragdi, opilationé radicaliū humorum.

Praſsini, renum, atq; diaphagmatis detrimentum.

Malachitæ, concoctionum defectum.

Iaſpidis, venarū pulſatilium, & membrorum contractionem.

Turqueſij, naturalium virium & rationis impedimentum.

Lapidū colores mercuriales, & animales.

CHriſtalli color, indicat imminutioné digeſtiuæ & attractiuæ facultatum.

Berilli, carnis inflationem, ſtomachi, & inteſtinorum.

Adaman-

Adamantis, humiditatis ſuperfluitatem.
Calcidonij color, hæpatis inflationem, capitis, & ſuarum partium.

Saphiri, muſculorũ corruptionẽ, denotat.

Perlarum, defectum nutrimentorum in facultatibus penetratiuis.

Alabaſtri color, oppilationẽ, aeris, & reſpiritionis, tam in genitalibus, quàm inteſtinis.

Lapidis ſpongioſi, turbulentiam ſanguinis ac memoriæ.

Salinorum lapidum pretioſorum colores.

RVbini color, ſignificat virtutum ſuſtentatiuarum, & motiuarum defectio.

Spinelli, pinguedinis inflationem.

Pallaſsi, plurium accidentia morborum.

Granati, ſplenis ſiccitatem.

Carneoli, pulmonis putrefactionem, & membranarum.

Coralli, digeſtionis impedimentum.

Hæmatitis, indurationem inteſtinorum.

Porphiritis, debilitationem ſpirituũ corporalium, vti ſenſuum, colore ſuo denotat.

De membris interioribus & partibus eorum.

CErebrum, eſt nobiliſsimarum facultatũ animæ domiciliũ, vt ſunt intellectus, in regione frontis: Memoria in occipitio: Ra-

tio verò, mediam inter præcedentia regionem tenet.

Pulmo, receptaculum eſt elementi aeris, ad vitæ fomentum, & nutrimentũ: membrũ hoc follium inſtar aperitur, & comprimitur, quo quidem artificio naturali, concipit aerẽ, & emittit, nouum ſemper attrahens, quem ad cor aſpirans in refrigerium, recenti fomẽto continuo temperat intenſum calorem occultum in eius centro, ſine qua reſpiratione, vitæ ſuffocaretur igneus ille vigor, quo cuncta viuunt animalia: non aliter, quam videmus, artificialem ignem elementatum, aere ſine minimè viuere poſſe.

Hæpar eſt receptaculum puriorum partium nutrimenti, ſeparati per ſtomachum, eóque relegati, vt ibidem in ſanguinẽ tranſmutetur, ex quo poſtmodum cætera corporis membra quæque ſumunt alimentum. Hoc loco notanda venit excellentiſsima ſeparatio naturalis, trium partium, quarum vna eſt ſanguis purior, & nobilior, ad nutrimentum corporis aſsumptus, ab alio impuro & ſuperfluo ſanguine, aqua pleno ac humiditate ſuperflua ſeiunctus: tertia pars eſt amaritudo venenoſa, quæ ſeparatur naturaliter ab alijs, vt non permiſceatur nutrimentis.

Cor, eſt fons vitæ vegetatiuæ, nec non centrum, ex quo procedit calor naturalis, &

radica-

radicalis humor in alia membra quæuis: eſtque domicilium omnium affectuum bonorum, atque malorum. Conſiderandum vtiq; timore pauoreque, facultatem attractiuam in corde, tam efficaciter ad ſe, ab alijs membris corporis trahere ſanguinem, & reuocare nonnumquam, vt vſque ad ſuffuſionem & ſui ſuffocationem, ob nimiam abundantiã, idipſum fiat. E contra, propter nimiũ gaudium, & repentinã, in opinatamque læticiã, virtus eius expulſiua ſanguinẽ à ſe pellit, ad alia mẽbra, quo faciat iſta ſui gaudij participia. Hæc eſt eius bonitas, & affectus maximæ confœderationis in reliqua membra. Quo fit etiam vt odio, vel inuidia, & ira præſertim inordinatis, vitioſi liquores cum ſanguine mixti, nedum ex felle, verum etiam ex omnibus alijs membris, refugium ad cor habentes, attrahantur, & humor omniscum eo, membraque ſua linquant, ſuis viribus deſtituta, vt in eis vitales ſpiritus pariter deficiant, & cordis animales per illos inficiantur.

Stomachus, primum eſt receptaculum ciborum, & potionum, primuſque ſeparator impuri ab impuro, qui purum ad Hæpar relegat, impurum autem ad inteſtina. Situm habet præciſè ſub diaphragmate, non aliter quàm olla ſub ſuo cooperculo.

Inteſtina, ſunt meatus, per quos, excre-

menta crassiora necnon superflua (quib. natura non indiget, quod ex eis sibi necessariũ elicuit) vt inualida reijcit.

Diaphragma, velut firmamentum, est separationis & medium inter superiorem vẽtrem (in quo pulmo, cor, & venæ arteriales situm habent) & inferiorem, stomachum, hępar, fel, splenẽ, inrestina, renes, vesicã & genitalia vasa continentẽ: quibus omnibus in genere, nutritiuę corporis facultates insunt.

Renes, duo, receptacula sunt sanguinis superflui, à puro separati per hæpar, & hoc loco relegati, vt amplius coquatur, digeratur & ab aqua sua repurgetur, quæ tandem àd vesicam remissa, per eam transit in exitum.

Fel est receptaculũ inualidi, amari, ac venenosi cuiusdã sanguinis, à valido separati, vt non intret in nutrimentum corporis: adhæret hæpatis contauicati, in formam crumenulæ.

Splen, est aliud receptaculum, felli ex opposito, quo recipitur sanguis crassior ac terreus.

Matrix, est vas generationis, in ventre mulieris, inter hæpar & splenem situm, paulò altius quàm vesica.

Vesica, receptaculum est & emunctorium inutilis aquæ, separatæ à sanguine nutrimenti, vt euacuetur ab eo corpus.

Ca

Capitis affectuum inditia, sub vrinarum examine.

TRres ſunt potiſsimi capitis affectus & morbi, vt Cephalalgia, Hœmicrania, & Cephalea. Primus originem ducit à ſanioſis fluxionib. ſecundus, ab humoribus ſalſis: tertius verò, ex vitreis liquoribus.

De Cephalalgia.

MOrbi huius indicia prima, ſunt hæc. Primò, guttulæ quædam, vt coagulati ſudoris, apparent admodum ſubtiles, in vaſis regione ſuprema, capitis videlicet, ſtatim poſt nubis diſparitionem, ſub ignis gradu primo: ſuntque triplices, vtpote rubeæ, quæ luſcioſos affectus oculorum denotant: ſpiſſæ, & craſſæ, ſignificant epiphoram: turbulentæ verò, lippitudinem.

Secundò, guttulæ huiuſmodi, veſicularum inſtar inflantur, ac poſtmodum per ſeipſas comprimuntur, formamque recipiunt granulorum milij, ſub ignis gradu ſecundo. A tribus coloribus hoc loco, morborum trium fieri iudicium etiam poteſt, vt ab albedine tranſparente, catharri: ab albedine obſcura, flatuum in auribus: & eadem viſcoſa, nariũ oppilationis.

Tertiò, grana quæ dicta ſunt, ignis calore ſoluuntur in ſubſtantiam ad modum viſcoſæ pinguedinis, quæ per latera vaſis defluit

ad locã, quibus morbi ſedem fixerũt in corpore patientis, idque ſub ignis tertio gradu. Colores quoque tres apparẽt, vt flauus, quo ſignificatur ophtalmia: flauus clarus albuginem denotat: flauus autem valde ſubtilis, oculi nubeculam.

De Hemicrania.

PRrimò, apparent guttę ſudorũ aliquãtò maiores prioribus, ſcz in Cephalalgia, ſed non ita claræ. Senſim augmentum ſumũt eodem vaſis loco, per quẽ regio capitis notatur, in qua morbus dominium habet: deorſum tendunt, & ibidem vt perueniunt, per digeſtionem exiccantur, ignis primo gradu. Colore albo, ſurditatem aurium denotant: albedine craſſa, & ſpiſſa, gemellos: duritie verò iophoniam.

Secundò quidem, eodem loco in quo exiccatæ ſunt, apparet poſtmodum albedo quædam, aluminis inſtar aduſti, quæ tandem inflatur per augmentum in ſpongiæ formam, idq; ſecundo gradu ignis.

Tertiò, non reſoluitur inflata hæc materia, imò potius indureſcit, vſq; ad vitri duritiem, tandem ignis calore vehementiori, ſeparatur à vaſe, ſub ignis tertio gradu. Colore luteo ſignificat Ephialtem: leuitate quidem, Epilepſiam. Si verò dicta materia compacta ſit ac fortis, Maniam denotat, & Apoplexiã.

De

De Cephalea.

Hoc loco valde maiores apparent guttæ præcedentibus, ab initio turbulentæ, vt ipsa materia, ex qua sumpserunt originem. Tādē clariores effectę, varios colores accipiūt. Sunt in ignis gradu primo fixæ. Citrinus color earum, Corizam denotat: citrinus lucidus, polipum in naribus significat.

Secundò, nonnullæ minuuntur atque disparent, verùm aliæ coloratiores apparent, ac in vltimum gradum ignis permanent, in quo tandem euanescunt. Colore suo viridi, significant contorsiones: flatibus obscuris, lethargiam: viridi colore verò, & aciditate sua, tetanum denotant.

Tertiò, in eodē guttarum situ, fixatur materia colorata quædā, & pinguis instar olei, quæ postmodum exiccata, vestigia relinquit salis transparentis, eius coloris cuius est sua natura, quod postremò resoluitur ignis tertio gradu. Colore cæruleo, vermes denotantur, qui color si valde clarus extiterit, quietis & somni priuatio: Amarulentia quidem, inquietudinem omnem significat.

Postremis examinibus in Cephalalgia, sciēdum, catharros flammam pallentem producere, carneo colore permixtam, & fumum flauescentem, obscurum atq; turbulentum. In Hemicrania, tartara, necnon salsi liquores, flauam producunt flammā, turbidam & obscu-

obſcuram. In cephalea, Brancus, aut liquor vitreus, viridem flammam excitat cœruleo permixtam, fumumq́; flauum, lucidum atq; tranſparentem.

Pulmonis indicia.

TRibus morbis potiſsimùm ſubijcitur pulmo, ſcilicet, inflammationi, putrefactioni, & opilationi. Inflammationis guttæ, primo gradu ignis, ſtatim aſſurgũt, quòd aerea ſint imbutæ proprietate, pulcherrimę trãſparentiæ ſunt: excolant ſæpiùs per latera vitri, vſque in primam pulmonis regionem, at momento poſt, rurſum aſcendunt, poſtremòq; viſcoſitatem concipiunt. Tres potiſſimùm colores producunt, accidentibus vt ex calore ac tenuitate, colorem album, formam ſpongioſam, & viſcoſam, quibus amopthyſim, & tuſsim denotant. Ex mucillaginoſa materia, colorem cereum edunt, atque fœtorem, & inde pleureſim indicant. Pulmonis putrefactio ſuis indicijs innoteſcit, ignis gradu ſecundo, hoc videlicet, quòd guttarũ loco, manifeſtatur mumia pinguis & colorata, circa pulminis regionem, eo loco, vbi latet ipſa putrefactio, per fumum obſcurum ac turbidum, qui tandem in carneum colorem abit: tribus de cauſis inflatur: primò ob defectum, vnde contrahit auſteritatem, & craſsitiem, & ex ea ſignificat atrophiam: ſecundò

cundò ex propria natura, qua quidē acquirit luteum vel mellinum colorem, & peripneumoniam denotat: tertiò verò, propter ſuperfluitatem nigreſcit, inde quidem ſignificat, eupyrema, necnon pthyſim. Pulmonis opillatio, detegitur igne tertij gradus, in forma tartareæ ſubſtantię, calcineæ, terreæque. Varios colores cōcipit ex natura triū primorū, vt ex mercurio, cinereū: ex ſale rubeū: &, ex ſulphure, citrinum: Ex accidētibus alios, vt ex inflatione, lactis albicantem atque turbidum colorem, inde nobis dyſpneam denotat: ex tartaro gipſeum colorem, per quē, tuſsim indicat. Verùm ex opilatione, flauum & ſpiſſum; inde ſignificat orthopneam & aſthma.

Pulmonis colores.

PVlmonis color ob inflationē, eſt citrin⁹ rubore Pallaſij lapidis, & cœruleo mixtus. Putrefactionis color in pulmone, eſt niger, craſſus ac turbulentus, in fumo vaporoſo manifeſtus, & ſuper materiam aduſtam, pellicula nitens obducitur.

Opilatio fumum edit mox tranſeuntem, non ſine ſibilationibus & rumore. Huius materia exuſta, tres colores producit, album vnum, gipſeum vel cretaceum: ſecundum latericeum aut rubicundum; tertium autem, cinereum.

Flam-

flamma flaua viridi permixta, qualis ex cupro fuſo, ſi diuturna lucidaque fuerit, metallicum venenum denotat, vnde morbus originem cæpit.

Verùm enimuero, nulla prorſum apparēte flamma, ſed materia ſolùm odore dulcem, fragrantiam edēte, morbum ex veneno prouenisse vegetabili iudicari poteſt.

Cordis indicia, per examen.

VItales ſpiritus in corde, tres principales facultates habent, videlicet, Attractiuam & magneticam: Retentiuam, aut ſuſtentatiuam: tertiam autem expulſiuam.

Virtus attractiua, colores tres habet ſanguini conuenientes, vti ſanguis citrinus, tráſparens, clarus ac lucidus, non acidus, ſpaſmum indicat: Rubeus, pinguis ſucculentus, & acutus, cauſonem denotat. Sed ille qui ſuccum fœtentem, & mucilaginoſum habet, mœrorem cordis ac triſticiam ſignificat & ſynocham.

Virtus retentiua tres pariter colores habet, per quos tartarum indicat: primus eſt in modum aquæ viſcoſæ, tenacis, & non fluxibilis, albæ claræque, litodimiam ſignificat. Similitudo colorq; materiæ induratæ, coloris albi lactis, & turbidi, palpitationem cordis indicat: color cinereus, durus & non fluxibilis, in modum gipſeæ materiæ vel calcis viuæ, ſyncopem denotat.

Facul-

facultas expulſiua cordis, colore ſuo pallido lucidoque, & per flauedinem humiditatis eius aquoſæ, mœſtitiam ſignificat: item à colore mellis obſcuro, & per amarum liquorem fluidum, hectica denotatur: Verùm colore vireſcente, & liquore ſuo ſalſo, denotatur appetitus atque maraſmon.

Flammæ cordis etiam, ab induſtrio poterunt examinatore cognoſci, per ea quæ ſuperiùs dicta ſunt.

Hæpatis indicia, morborum eius, & ſimptomatum.

SPiritus naturales in hæpate, pariter & tres facultates obtinent, ſcilicet, diſſolutiuam: tranſmutatiuam: & ſubtiliantem. Diſſolutiua calori quidē eſt obnoxia, duoſque colores habet, nempe caneoli, quæ recenti ſua mumia præfigurat anaſarcham: colore fuſco flaueſcente, ac ſua mumia aquoſa, denotat aſcitem, timpanitem, & ictericiam flauam.

Virtus trāſmutatiua, eſt oppilationi ſubdita, colore ſuo ſpadiceo, putridaque mumia, ſignificat hecticā, & mumia congelata, denotat opilationem, ſcyrrum, & ictericiā nigrā.

Facultas verò ſubtilians, corruptioni ſubijeitur, & mumiæ putrefactioni, quod quidem à colore flauo cognoſcitur, & obſcuro, ſimilitudinem electri habente, vnde iudicatur apoſtematio, corruptioque alicuius venę

in hæ-

in hæpate, lunatica, & ictericia viridis. Hæc omnia diligentissimè notanda sunt, quodq; suo loco, flammæ, fumi, gradus ignis, &c.

Stomachi, & morborum eius indicia.

TRibus à natura dotibus ornatur stomachus, videlicet, consuméte virtute, sympatia & concordantia cũ singulis membris totius corporis, & conditione proprietatéque digestiua. Virtus cósumens tres colores habet, quorum vnus est cœruleus & spissus, quo denotatur, fragilitas & corruptibilitas: alio viridi colore mixto, cœruleo obscuro, significatur opilatio: tertio verò flauo, mixto viridi subtili, denotatur tenasmon, & vlcera, necnon apostemationes, ac inferiorum partium exitus. Sympatia similiter colores tres pandit, vnum carneum lucidumque, per quẽ tumores & inflationes indicat: alium rosarum instar, quo denotatur colica, singultus, & hœmorrhoides: tertius color est viridis in modum vitri, quo signficantur vomituũ excitationes, & vermes omnis generis. Digestiua tres colores etiam edit, quorum vnus flauus, obscurus, & nebulosus, significat lyẽteriam: alius est luteus in ocræ similitudinẽ, qui dyarrhœam, colicam, & iliacam denotat: tertius flauns est, croceus, & fumosus, quo significatur dysenteria.

Sple-

Splenis indicia.

SPlen pari modo tres facultates naturales habet, vnam cõsumnentem, & spongiosam materiam: aliam attractiuã, humidã & non solidam: tertiam insatiabilem naturam terream & crassam. Virtus consumens, colore suo in modum albicantis aquæ subtilis, per plumbeam flauedinem, & per mumiã, vnà cùm bullis christallinis, oppilationem, & confosionem denotat. Facultas attractiua, sub citrino colore, transparente, claro, fluido, subtili, & mucilaginoso, superfluitatem, & inflationem indicat. Facultas insatiabilis, per materiam purulentam, vtcumq; lucidam, subtilem, ac transparentem colorem habẽtem, vt manna, significat duriciem, scyrrum, phantasmata, deliquia animi, tristitiam, somnia grauissima, necnon herelipelã.

Renum indicia & vesicæ.

TRes etiam facultates habent renes & vesica, vt attractiuam, retentiuam, aut receptiuam, & expulsiuam. Attractiua sub colore lactis turbidi, & sub obscura flauedine, forma lanosa villosaque, denotat, ob destructionem diamne, abcessum, vlcerationes, & in viris, à prædictis indicijs, gonorrheam, bubones, pryapismum, & coitus impotentiam: in mulieribus verò, mẽstrua tam rubea quam alba, matricisque defectus. Retentiua

ſub colore ſanguineo, ſpiſſo, ad laterum colorem tendente, necnon ſub virulenti ſanguinis apparentia, viſcoſi, mucilaginoſiſque, tum propter impedimenta, diabetam ſignificat, ſtranguriam, & apoſtemata. Virtus autẽ expulſiua, plures colores obtinet, vti ſub mucilaginoſa materia, villoſa, & lanoſa rubei coloris, obſcuri, nigri, & ſub arenoſa materia, calculoſa, tartarea, viridi colore, ſignificat ab his omnibus oppilationem, & poſtmodũ, veſicæ calculum mox inde ſubſequentem, vel ſtranguriam: ſed à coloribus, rubeo, albo, vel flauo, nephritim denotat: per tumores verò, & inflationes materiæ vrinariæ in ſuo vaſe naturali, putrefactionẽ indicat. Notãdũ interea, renes ęquè ſubiectos eſſe calculo, arenæ, & calci naturali, atq; veſica, vel alia corporis membra. Sciendum etiam tartarum ipſum, ſub diuerſis coloribus, chiaticas, podagras, & chiragras producere, idq; auxilio ſanguinis in hæpate ſuperflui, materiæque ſtomachi mucilaginoſæ: nó aliter quàm alia contagia, vt lepra, morbi venerei, ſimileſque generantur ex ſquamoſa materia, plumoſa, villoſa, &c. quæ ſingula diligentia ſumma cognoſcenda ſunt, atq; notanda. Nil vos remorentur ſcripta veterum Æthnicorum qui tradunt, in quinque membris corporis, dumtaxat, & non pluribus, calculos & arenas generari vt in pulmone, renibus, veſica, inteſtinis,

ſtinis, & lumbis, Cùm ipſa docet experientia pariter & in cerebro generari, in oculis, & alijs corporis partibus: in felle ſub viridi colore, in modum lapidis malachitæ: in ſplene coloris albi: & in hæpate rubei, tamq; pyritis rubicundi.

Concluſio.

Quo tandem Anatomiæ corporum viuorum faciamus finem, quæ peculiari, dono S. Spiritus, Theophraſto Paracelſo, piæ memoriæ præceptori noſtro, fuit reuelata, vt Æthnicorum enormes errores in medicinam introducti, nedũ corrigerentur, verum etiam prorſum ac radicitus euerterentur & extirparentur: quippe qui ab inimicis Dei natureq́ue, ſunt in medium ab inferis allati non tolerabiles vſpiam gẽtium abuſus eiuſmodi: bonos pioſque viros medicos, admonitos velimus, vt ſeſe hac in arte Anatomica, quam ipſis dumtaxat proponimus, nauiter exerceant, non tantùm his exemplis inſiſtentes, quæ hoc loco ſcripta ſunt. Etenim ab exordio dumtaxat poſita, quo meliùs, ac faciliùs inſtruantur in arte, per quam deinceps medicinam exerceant, à ſuis experimentis potiùs, quàm alienis. Quod quidem poterit medicus omnis, chriſtianus, cui charitatis & non quęſtus, aut turpis lucri cauſa, commendati fuerint ægri, facere ſine diſcrimine vitæ, chriſtianorum præſertim hominum. Hacte-

nus recentiores ex ſcholis Æthnicis mediculi, praxim peſsimè fundatæ ſuæ theorices, impenſis, atque periculo miſerorum patientum didicerunt, quos mori ſi non vacauerit, iuuerunt potius quàm viuere. Vnde vulgatum in prouerbium abijt: Recenti medico, cimiterium eſſe dilatandum. Hac via curantur, vt nunquam in poſterum ampliùs malè habeant. In ſchola verò noſtra hac anatomica, medicinam addiſcere quiſque poteſt, abſque præiudicio hominum, & præter conſciẽtiæ ſuæ maculam. Tandem expertus in vrinarum examine ſpagirico, Deo primùm, & naturæ demum, fideliter inſeruire valebit, ægriſque tutò ſubuenire. Faxit omnipoteus Dominus Deus clementia & benignitate ſuis, tales exurgere medicos, quò miſerijs & calamitatibus humanis, meliùs quàm antea conſultum ſit, eius concedente miſericordia, cui ſoli honor, laus, & gloria conuenit in æternum.

Appenidix.

SI quis forſitã dubitabit, hanc Anatomiã eſſe Theophraſti Paracelſi noſtri præceptoris inuentũ, legat ea quæ libello de anatomia duplici ſcripſit, tum demum iudicet, an ſit æquum autores, & inuentores bonarũ artium ſuis priuare, cùm laboribus tum honoribus. Interea tamen aliquot eiuſdem au-

goritates, ex libello hoc addere minimè pigebit, vt videatur ex qua pharetra, procesſit iſta ſagitta.

ANATOMIA THEOPHRASTI PARACELSI.

A Vera ſua origine Anatomia eò relegata eſt, vt exiſtimatum ſit hactenus, abũdè, quæ ad hanc ſpectãt, ex homine mortuo, ſeu cadauere potius percipi poſſe: id quod ego planè pro minimo, ac nihili æſtimo: tametſi non deſint, qui hoc ipſum adhuc magis ducant, nec pauca inde colligere conentur. Qua quidem ex re Medicina in Theoricam deducta, neque ſine magnis huc vſque erroribus ſuffulta eſt. Quædam enim rationes idipſum agnoſcunt, nempe multò alia quàm corpus mortuum eſſe anatomizanda: Nam hoc pacto, cum Anatomia inſtructum debeat efficere quemlibet Medicum, duplicem eam eſſe neceſſarium eſt, Localem alteram, alteram Eſſentialem. Cum itaque Localis vna eſſe debeat, qua ratione in cadauere deprehendi poſsit nõ video, niſi præcedẽte Anatomiæ exterrioris cognitione, quam demum extincti corporis Anatomia ſequi debet. Quod ſi quantulacunque ſaltem in vobis eſſet veræ artis Medicę ratio, ipſi profecto fateremini, nullam in eo neque natu-

ram, neque essentiam reperiri vnquàm posse, quemadmodum & vestrum nonnulli id quoque admirantur, quòd corpus mortuum rationis loco proponi debeat, vnde aliquid sumatur, quod viuo proficuum futurum sit, non expendentes Essentiam, propietatem ac virtutem omnem, quæ Anatomię præcipua sunt, desiderari in eo ac planè simul esse defuncta. Proinde vos admonitos velim, si tamtisper uobis viui corporis conseruatio curæ est, eius, in mortuo salutem nullo modo quæratis. Altera verò, quę Essentialis est, hactenus quidem intacta permansit, præcipuum tamen, ac professionis Medicę summam plenè intra se cõtinet. Verùm quemadmodum communis iam consuetudo est, vt quæ meliora sunt omittantur ac iaceant, deteriora verò magna industria obseruentur, sic etiam in hac torpor & ignauia præualuit. Optimũ enim quodq; à nobis negligitur, at reliquum magis arridet, ac procedit fortiùs, plusque apud vos sentitur quàm icteritia fellina. Nam hinc omnium vestrorum tam profundus ac impeditus cum Theoricæ, tum Practicæ error, quasi per cuniculos quosdam in vniuersam irrepsit professionem.

Principiò propter animi vestri caliginem, Localem quidem Anatomiam accipite in hunc modum, vt ex hac nonnihil quod sequenti rationni coueniat, intellagitis. Quod quidem

quidem aduersum eos est, qui huic tantùm student,& abundè sufficere arbitrantur,scire quomodo pulmo aut epar pendeát, aut qua ratione etiam reliqua sita sint. Nam si in eiusmodi rebus Medica ratio versaretur, fieri non posset,quin aliquid vobis hinc emolumenti contingeret.Atqui cum corpus quidē viuum, viuam quoque è regione obseruari Anatomiam desiderat,viua certè corpora atque huic quidem æquilibrio conuenientia, accipienda declarat. Quod si Anatomiam hinc inde probè contemplemini, locum mihi detis necesse est,quo par pari comparem,habitus enim ac cuiusque membri substantia,ei tantùm signo conuenit, in quo minimum delitescit. Quocirca Anatomiā vos querere decet vltra eam quam cadauer præscribit. Neque hoc mihi vitio vertatur, quasi vero Diaphragma nesciam,aut vestris adstipulari nugis cogar. Nam euidens est ratio, quòd multo plura ostendit vitæ Anatomia ad aliam vitam,quam si in defuncto inquirere velim id quod ad vitā attineat. Quapropter in hoc potiùs Anatomia obseruanda est, quo pacto morbi in hac se spargāt, quiue loci aut regiones suis peculiarib. morbis conueniant aut non. cuius quidem Anatomiæ rationem si habueritis,gloriari haud immerito potestis,aliquo modo vos philosophiæ dedisse nomina, probè nimirum & exacte,

indagãdo id, quod in primis Medicũ refert, Viuam igitur Anatomiam vobis proponite, non illam quæ cum laruis eſt lucta, ex quà nihil penitus elicere poteſtis aliud, præter id quod natura extrinſecus comprehendit. Quare hoc opus, hic labor eſt, vt maiorẽ iſthic iam, quàm hactenus operam adhibeatis. Ad hunc igitur modũ Anatomia Microcoſmi dignoſcenda eſt vnà cum ſuis locis & regionibus in dictis morbis. Non quòd morbos locis accommodem, verùm quo & vobis officium ſinam, & res clarius appareat, eadem toties inculco, ſaltem vt Anatomia quo pacto in flore ſuo ac ſuis exaltationibus, pergat, non omittatur.

Neque hoc mihi malignè interpretandũ, quod in Anatomia vos tamdiu detineo. nam eò me veſtra cogit ignorantia, ac immenſæ veterum ſcriptorum nugæ. Quòd ſi peculiariter de ſola hac nobis eſſet (quemadmodum inſtitueram) ſermo, errores veſtros clarius in medium producerem, ac planè vlcus vobis, vbi maximè dolet, aperirem. Cæterum hinc non alius tantopere colligendus eſt fructus, quàm vt aliquando tandem relicta hac mortua Anatomia conſideretis, ac rẽ æqua, quod aiunt, lance perpendatis, quàm falſè, quamque ineptè hactenus ſcriptitarint, quicunq; ad noſtra vſque tempora de Anatomia ſermonem texere ſunt conati: qua quidem &

vos

vos & illi sic professionē conspurcastis medicam, vt tantùm non in vniuersum extincta sit, tametsi nihil vobis restat ampliùs quàm vt de Ferrariensium columnarum structura, deque Perusinis tantisper histrionibus gloriemini. Quocirca non tam Medicina, quàm nefandus quidam fucus ac impostura hæc est meritò nuncupanda.

Summum enim ac præcipiuum hoc esse in Medico duco, vt confluentiam Anatomiæ probè intelligat, quo pacto loca & morbi inter se conueniant, nò quia id citra exteriorem anatomiam fieri debeat, verum potiùs vt per eandem in confluentiam deducatur, cuius quidem rationem ac intellectum vbi habueritis, haud difficulter in vestram sententiam me commouebitis. Nam vt videtis quod quatuor sunt essentiæ, quæ vnicuique semini suum dant profectum, sic eædem ipsę vniuersam Anatomiam conflent necesse est. Id qua ratione fiat cōsultamini quęso. Porro tametsi posit fortè Anatomiæ diuisio contingere, vt altera in Chirurgiā legetur, altera in ipsa permaneat Physica, rem tamen ipsam non vsqueadeo ad vnguem ea diuisio attingere videtur. Anatomiæ siquidem Geometria intellectum alia ratione prębet. Sed & Iliadi habitus idipsum aperit, præsertim cū vnum corpus existat.

Quid enim ex omnibus, quę ad medicum

attinent, hunc confluentiæ intellectũ æquipollet? cum præſertim citra anatomiam natura fermè protulerit nihil? hinc eſt quòd omnia genera ac ſpecies ſeparauit in ſemetipſa. Quonam igitur pacto mortuum cadauer ſecantes, extendentes, ac tam miſerè laniantes, quicquam ex eo acquiretur, quod viuenti vtile futurum ſit? cum id quod hic captatis nuſquam adſit amplius?

Hęc aduerſus quatuor humores dicta ſint, qui nullum neq; locum neq; rationem Anatomiæ pati queunt, neque vlla via, quemadmodum feruntur ex his, morborum origines contingere poſſunt. Cur igitur tantiſper de veſtris humoribus gloriamini? quid ſic ampullas & ſeſquipedalia verba ſubinde proijcitis? quandoquidem non aliter atque poma in ſuis locuſtis prodeant morbi, & perinde vt illic, ita etiam in morborum generatione aut ſanguinem aut phlegma conſiderare ridiculum eſt.

Hoc itaq; ſi carueritis, quiſnam à vobis tãdem fatuum abiget, cum tam profunde radices egerit, vt euelli à quoquã vllo pacto nequeat, quin & hoc certũ eſt, eum qui pomis ſuos dare & adimere nucleos poteſt, nõ minùs & morbis quoque non tamen conſultis priùs quatuor humoribus, dominari poſſe. Harum igitur ægritudinum ratio ex ſola debet Anatomia ferre iudicium, non autem ex humo-

humoribus. Contemplemini quæſo vos vel meſpila poma: creſcũt enim ea neque ex Colera, neque ex melancholia, verùm potius ex confluentia Anatomiæ. Huc huc adhibete nares, & olfacite quidnam ſit ſpecificũ, quod hunc fructum in radice adoriatur, idq́; etiam his comparate ægritudinibus. Nam eodem pacto & morbi naſcuntur non ſecus, atq; ex tellure fructus. Quapropter corpus ipſum, omnium ægritudinum quaſi fundus eſt: ex eo namque non aliter, quàm ex terra fructus, procreantur. Cum igitur corporis fructus morbi ſint, circumſpicite vbinam inueſtigari debeat Sinapium, quod pro Eruca hactenus, ſed falſo, accepiſtis. Verùm quemadmodum ſoletis vtiliſsima quæque ſpernere, ita etiam hac in re priſtinam obſeruaſtis conſuetudinem.

Qemadmodum localẽ prius Anatomiam poſui, vt in hanc ſententiã intelligatis, quod ad ægritudinum loca attineat, quænam in vno morbo conſonent membra, veluti quæ in pruritu patiantur, quæue in alopecia, quæ in hydropiſi, qnæ in Aſclite. Similiter etiam quæ vermes & Aſcarides foueant. Item quæ loca vitæ, quæ ſint mortis, quibus in locis Mummia deliteſcat, in quibus Caducus lateat, vbinam paralyſis gubernet, vbi lethargicus morbus, ac reliqui deniq; omnes.

In hanc ſententiam cõcluſum volo: quot, quam-

quamq́; variæ sunt ægritudines, totidẽ quoque esse corpora & loca, sicuti externæ quoque Anatomiæ vnicuique procreato suum corpus, idque proprium ac peculiare confe- runt. vt enim Duelech argentum non producit, ita nec hydropisim epar. Quocirca mortuum cadauer haud iniuria reijci, sperniq́; potest, ceu ad hanc rationem capessendam minime idoneum, quandoquidem cognitio ista non ex physico corpore proficisci tur, verùm potiùs ab externo, eius quod intrinsecum est, corporis, agnitionem capias necessum est.

Cæterùm & de Essata quidem Anatomia nonnihil dicendum est: quod cur fiat, hæc est qua mouemur ratio, quod multa subinde in subiecto inquirere conamini. An hactenus non tãtulum in vobis habuistis iudicij, quod nullum vnquam in Vita subiectũ fuit? Quid nam in eo quæritis, cũ sciatis maius aliquod esse à quo subiectum pati oporteat? respicite quæso terram, ea pino velit nolit suum exitũ admittere cogitur. Quid igitur Epar tãdem prohibere possit? An quicquam iudicij vestra habet medẽdi ratio, cum subiectum perinde ac morbum contemplemini, putetisq́; cognito subiecto rem (si dijs placet) optime gestam? Iam opinor rationem scitis. An non vos pudet tã crassa Minerua præditos, quòd subiectum pro materia & causa morbi accipitis?

pitis? Nunquam ne vobis ſuboluit, an præ vini copia ſubolere non poterat, quòd vnumquodq; ſubiectum accidenti ſit obnoxium? id ſi vobis admittatur, quid quæſo in ſubiecto amplius manet, quando adhuc accidens ſupereſt? hęc ob id dico, quia quodlibet accidens Eſſata Anatomia exiſtit, quamuis licet in ſubiecto circum volutemini: id quod veſtris præceptoribus acceptum feratis, cũ nec ipſi à vobiſmet melius quid reperire poſsitis, illorum tantum verbis addicti. Hoc igitur ita ſe habente, quod ſubiectum operiri accidens oportet, quo ſe veſtræ quadripartitiones cõferent, quorſum veſtra colera? quorſum veſtri humores? quorſum qualitates? quorſum etiam ſex res naturales, & totidem innaturales? Hæccine Medicæ profeſsionis ratio eſſe debet? Quocirca mirari deſino tantam vbiq; tam in ædibus, quàm in plateis lãguentium phalangem, ac infinitam multitudinem.

Verum quo tandem eſſatam Anatomiam aggrediamur, hoc ſummum acpræcipiuum rei argumentum eſt, quod corpus phyſicum nullo modo conſiderari oportet ad morbi originem, nec in ſubiecto quicquam agi, neque in eo morbum inquiri. Sed perinde eſt vt de pomo, quod vndenam creſcat, promite quæſo ſi quid habetis. Num ex terra dicitis? erratis. primum eſt enim ſubiectum: an ex ligno?

gno?

gno? neque hoc verisimile: nam rei subiectũ est. Non aliter profecto hac de re loquimini, quàm si caput per fenestram protendente aliquo, dicat quis ex domo eum vel fenestrã nasci. An quia gallinæ pullus ex testa caput rostello errumpat, ex ouo procreari eum cõfestim diceris? tota certè, quod dicitur, via, totoque cœlo erratis. quanquam rudiores, & qui parum rem intelligunt, astipulatores vobis non dubito. Verùm vos egregij Domini Doctores, omnia & credere, & agere nobis probe licere putatis. Neque Aristoteles quidem mecum sentit, neque hi mihi credunt, aut vnquam credituri sunt, qui me toties deceperunt, quiue id adhuc conantur, quique suæ tantùm rei student. Sed ij duntaxat fidẽ mihi habent, á quibus vtraque Anatomia dignoscitur: plus quidem eruditionis in vestris esse bibliothecis existimassem, quàm vt idiotas demum vestræ causæ testes adducere cogeremini: si quis ex specu aliquo prodeat, inde eum statim procreatum persuadeatis.

Atqui vt tandem rem expediam ac summatim dicam, Omnes sanè morbi â peregrino veniunt in subiectũ. ex quo sequitur, quot poma, quot nuces, quotque fructus alij, totidem etiam esse morbos. Et non pudet vos interim ea in quatuor secare partes, scilicet: Hoc melancholia est, hoc colera, &c. Considerate,

derāte, elementū ignis, ex quo tam nix quàm calor prouenit, tam frigus quàm calor. Similiter etiam quotquot eiusmodi accidentia ignitarum impreſsionum, totidē ſunt etiam ægritudines in Microcoſmo, & quotquot mineralia, totidem etiam morbi, quotque thereniabin, totitidem & morbi. Sed quia nec extrinſecum quidem cognoſcitis, quisnam illò vnumquotque diſpoſuerit, qualecunque tandem vobis veſtræ ignorantiæ operculum phantaſia ſuppeditat, ex quatuor videlicet humoribus. Hem vos, quàm eſtis ſcilicet probè inſtructi? Poteratis vel purpuram potius, quàm eiuſcemodi viles contexiſſe pannos, ac ita centones oſtentare, tametſi ne ſic quidem alicuius momenti futuri.

FINIS.

